




Disputatio de
11
6
385









XXXIV
SCHMID

DISPUTATIO THEOLOGICA SOLENNIS DE Partibus ſalutarem pœnitentiam conſtituentibus, & in ſpecie, de priore ejus parte CONTRITIONE

Ex Pſalmo. 51. v. 5.

Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.

QUAE
DEI AUSPICIIS
PRÆSIDE
JOHANNE SCHMIDIO,
SS.TH. DOCTORE PROFESSORE SENIORE,
THEOLOG. FACULTATIS h. t. DECANO,
Rev. Conv. Eccleſ. Præſide, Cap. Thoman. Præpoſito, & Summi Templi Eccleſiaſte,

Dn. Patrono, Præceptore, Promotore, pia obſervantia obſequiosè venerando
à me
RESPONDENTE
Friderico Samuele Geroldto.
Argentinenſe.

Habebitur die 26. Februarij.

ARGENTORATI.
Ex Muſæo Chalcographico JACOBI THILONIS,
ANNO CIↃ. IↃC. LVII.



VIRO
SPECTATISSIMO AM-
PLISSIMOQVE
DOMINO
FRANCISCO CHRISTO-PHORO CAROLI,
INCLYTI ORDINIS
DOMINORUM
QUINDECIMVIRORUM
SECRETARIO
Longo varioque rerum uſu
EXCULTISSIMO,
PATRONO
â multis jam annis
MAGNO.

Se ſuaque ſtudia
devota humilitate
commendat
hac Solenni Diſputatione
Fridericus Samuel Geroldt.
Argent.



Σὺν Θεῷ.

DISPUTATIO SOLENNIS

De partibus salutarem pœnitentiam constituentibus, & in specie

De

Contritione,

quæ prior pœnitentiæ pars est,
Ad locum
Psalmi 51. *v.* 5.

Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

§. I.

L*Apidei cordis ablationem* inter maxima beneficia sua Jehova numerat Ezech. 11, 19. ubi, cum populo Judaico, & inprimis ejus Principibus & Optimatibus, (qui post abductionem Regis Jechoniæ Hierosolymæ manserant, & dudum Prophetæ Jeremiæ conciones & oracula de instante excidio securè contemserant, neq; jam Ezechielis verbis, ex ore divino haustis, habebant fidem, nunquam fore secum persuasi, ut vel Hierosolyma in hostium Chaldæorum potestatem veniat, vel ipsi inde ejiciantur: *urbem* enim esse *lebetem* Deo consecratum, se verò *carnes* in eo, v. 3. ideoque futurum, ut Deus & urbem & incolas, contra potentissimorum hostium vim & impetus, sit conservaturus) gra-

Προοίμιον ex Ezech. 11, 19.

Ubi cordis lapidei ablationem Deus pollicetur.

 vissimas

vissimas denunciasset pœnas, quod, quia *plurimos in urbe occidissent, ejusq; vias* & plateas cadaveribus *interfectorum implevissent*, adeoque verè *urbem* fecissent quendam quasi *lebetem, carnibus*, sed inocentum, quos aut impiis judiciis, aut vi iniqua peremissent, plenum, v. 6. & 7. ipsos *educturus sit de medio* urbis, permissurus, ut patria, domiciliis, possessionibus suis ab hostibus expellantur, quod *gladium, quem metuant, super eos inducturus* v. 8. *daturus eos in manus hostium, & judicia in ipsis facturus* v. 9. &c. cum etiam *Pheltiam filium Banaiæ* dubio procul principem derisorum, qui minas Prophetarum nihili æstimandas, neque ipsorum admittenda consilia æstimarant, repentina morte, non sine horrore adstantium, abripuisset, & ad formidabile hoc spectaculum ipse quoque Propheta exterritus esset, metuens, ne *Iehova reliquiarum Israëlis consummationem faceret* v. 13. quin & inter Judæos jam in captivitate Babylonica exulantes haut pauci invenirentur, qui de promissa in patriam terram reductione dubitarent, subitò ad jucundissimas progreditur consolationes, quibus omnibus iis, qui sponte cum Jechonia in exilium abierant, pollicetur, fore, ut Jehova suo tempore eos non tantùm sit *congregaturus de populis*, in quibus nunc exulent, & *adunaturus sive collecturus de terris, in quibus jam sint dispersi, & redditurus ipsis humum Israël* v. 17. sed etiam Spiritus sui sancti gratia eos illuminaturus, ut abominandam idololatriam, cui pridem cum aliis dediti fuerant, & agnoscant, & detestentur, & omnino aboleant; adeoque *novum spiritum, cor carneum daturus in visceribus eorum, cor verò lapideum de carne ipsorum ablaturus*. v. 19.

2. *Cordis* vocabulo in scriptura sacra *omnes animæ rationalis facultates, vires & operationes, scilicet intellectum, voluntatem, judicium, cogitationem, consultationem, electionem, affectus, conatus* complecti, alibi, ex diversis Veteris & Novi Testamenti locis, ostensum est. Hoc pro varia conditione & statu varias sustinet appellationes. DEO enim gratiosè operanti se si submittat, *fidele, integrum, purum, rectum, verum, mundum, novum, carneum* dicitur. Contrà si eidem docenti, monenti, hortanti, minanti reluctetur, *contumax, elatum, fraudulentum, malignum, perversum, scortans, durum*, denique *lapideum* vocatur, ubi (quæ Theodoreti verba sunt) *nemo eorum, qui natura prudentes sunt,*

Cor humanum pro vario statu varia sortitur nomina.

opina-

opinabitur lapideum cor lapidis esse, sed obedire renuens atq́, in exorabile, quodq́, DEO nolit credere &c. Bernhard. lib. 1. de considerat. ad Eugenium Pontificem pag. 254. locum Ezechielis *de corde lapideo* adducens; ex semetipso quærit: *Quid est cor durum* (& lapideum?) subjicit: *Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non providens: ipsum est, cui præteritorũ, præter solas injurias, nihil omnino nõ præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla, nisi fortè ad ulciscendum prospectio seu præparatio est. Et ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.* Optima pessimæ rei descriptio: Tametsi enim *præcipuè propter indocilitatem* cor perversum dici videatur *lapideum*, quod *quemadmodum silices in alienam aliquam speciem informari non possunt, sic induratæ mentes non flectantur ab eo, quod semel arripuerunt, & ad formas alias seu disciplinas se præbeant indociles.* Vide Sanct. in Ezech. cap. 11. p. 231. evidens tamen est tum ex hisce Prophetæ, tum aliis scripturarũ locis, ubi *lapidei cordis* fit mentio, omnia modò à Bernhardo enumerata atque alia vitia æquè eodem contineri. Sicuti enim *cor carnem* à Spiritu sancto ingeneratum, quoddam quasi domicilium est omnium virtutum, quas regeneratio & renovatio complectitur: sic *cor lapideum* omnium vitiorum fœda quædam atque abominanda in non renatis colluvies est. Polanus in Ezech. pag. 295. redditurus rationem, *cur DEus cor hominis lapideũ & non ferreum appellet, inquit: quoniam etiamsi ferrum durum sit, ut manibus flecti non poßit versariq́, sicut cera, tamen habet quandam qualitatẽ, licèt exiguam ad mollitiem, nempe ut, si igni admoveatur, molle fieri queat, & malleo in omnem formam flecti, quanquam remaneat ferrum, nec mutet naturam: at lapis nullam habet mollitiem, neq; ad mollitiem aptitudinem, ut scil. igne adjutus mollescere, adeoq; versari & flecti poßit, permanens lapis.* Sed egreditur comparationis limites & cordi humano etiam *paßivam potentiam naturalem*, per quam Spiritus sancti conversionem operantis gratiam recipere idoneum est, adimit. Lapis omni potentia passiva re-

Et sic etiã propter extremam contumaciam lapideum dicitur.

cipiendi mollitiem natura destituitur: at non ita cor humanum, cujus mens lumen notitiæ DEI recipere, voluntas ad obedientiam legi divinæ debitam flecti, affectus, ut decentem moderationem teneant, regi possunt, qua de re disp. de libero arbitrio actum. Aliàs æquipollentia sunt in sacris literis *lapideum, ferreum, æreum,* quando de humani cordis malitia sermo est Esa: 48, 4. *scio,* inquit, *quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua & frons tua ærea,* ubi ferrea cervice & ærea fronte idem quod lapideo corde significari, per se manifestum est.

Quæ lapidea contumacia est originalis.

3. Est autem cor hominis lapideum *partim origine,* & ex ipso in utero matris contracto vitio profundissimè infixo. Mollis & carneus erat per primam creationem homo ad imaginem DEI formatus, pronus & promtus ad legem sibi à Creatore suo, sive primùm inditam, sive postea præscriptam, plenè & per omnes partes observandam, quippe nulla interiori concupiscentia in contrarium allectabatur aut rapiebatur. Verùm quo momento libero suo arbitrio abusus, mendacissimis Satanæ blandimentis locum dedit, & divinum mandatum violavit, periit sanctissima mollities, abominanda durities successit: quod carneum pridem cor fuerat, factum est lapideum, perversum, rebelle, contumax, hostili odio adversus DEum ejusque legem fremens. Atque id in omnes primi hominis naturales posteros sine exceptione, sine graduum variatione, propagatum à mundi origine fuit, hodieque propagatur. *Omnes* enim, ut Augustana Confessio articulo secundo habet, *nascuntur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum & cum concupiscentia* &c: carent justitia originali, illa naturæ perfecta cum divina lege conformitate & concreata omnium animæ virium rectitudine: corrupti contrà sunt prava concupiscentia & vitiosa qualitate, per quam DEum ipsum ejusque voluntatem aversantur, ac ad perpetranda ea, quæ lex divina prohibet, trahuntur. Deinde *cor hominis magis lapidescit,* ut sic dicamus, *ex actuali malitia* cum originali duritiei non tantùm non resistitur, sed & ea peccatis contra conscientiam & *elata manu,* ut scriptura loquitur, commissis augetur. Ferrum naturà durum crebro & frequenti ictu fit durius: sic cor humanum naturà lapideum, consuetudine peccandi, paulò post fit saxeum, ac tandem siliceum. Exemplo est Pharao, qui, quò sæpius divina

Et actualis

monita,

monita, minas, prodigia contemsit, hoc magis fuit induratus Exod. 7, 13. & 22. cap. 8. 19. 9. 35. ubi juxta vulgatum, *cor ejus nimis induratum* fuisse legitur. Exemplo etiam & maximè quidem sunt Judæi, quos cum Jehova non longè pòst eductionem ex Ægypto *populum duræ cervicis vocârit*. Exod. 32, 9. ut hac increpatione ad obediendi studium excitaret, cum postea sæpius monuerit, *ne cervicem suam amplius indurent*. Deut. 10, 16. tantum tamen absfuit, ut molliores, inde facti sint, ut ipsa quodammodo monita ad majorem duritiem & pervicaciam adhibuerint: qua de re graves passim, in historia sacra & prophetarum oraculis, quærelæ extant. Confer inprimis 2. Reg. 17, 13. & seqq. Neh. 9, 16. & 29. Jer. 5, 3. ubi *supra petram facies suas eos indurasse* Jehova per Prophetam ait: adde cap. 7, 26. cap. 17, 23. cap. 19, 15. ut & emphatica verba Zach. 7, 11. & 12. *aggravarunt aures suas, ne audirent, & cor suum posuerunt ut adamantem*: facti tandem sunt tam indurati, ut *quemadmodum Æthiops pellem suam, aut Pardus varietates suas mutare nequit, sic nec illi potuerint benefacere, cum malum didicerint*. Jer. 13, 23. De quo loco tamen notandum, non absolutam impossibilitatem, sed summam difficultatem eodem describi. Æthiops & Pardus non sunt naturalia subjecta recipiendi alios colores ab iis, quos per naturam habent: at hominis mens & voluntas, sive cor humanum, est manetque naturale subjectum, patiens & recipiens divinam operationem, adeoq; spiritualiter carneam mollitiem: quò pertinent, quæ sub finem præced. §. dicta.

4. *Hoc lapideo corde cum nihil sit miserius* (siquidem per ejus *duritiem* homo omnia beneficia spiritualia, adeoque ipsam animæ saluté à Spiritu sancto in verbo oblatā, quasi vi quadam à se *repellit*, & *semetipsum indignum æterna vita judicat*. Act. 13, 46.) danda omnibus, qui tale secum *in carne* circum ferunt, opera, ut inde maturè divina gratia eximatur & *auferatur*. *Divina* dicimus *gratia*. Non enim homo propriis viribus cor suum, si lapideum factum sit, in carneum transformare potest. Hoc quidem facile protoplastis fuit cū carneis à CōditoreDeo cordibus creati essent, ea in lapidea convertere, antiqui serpentis mendaciis ac seductionibus aures præbere, violare divinum mandatum, & hoc pacto exuta DEI imagine & originali justitia, menti caliginem & tenebras inferre, voluntatem & reliquas

Conjuncta cum incredibili miseria,

Quam ex semetipso auferre nemo hominum suis viribus potest,

reliquas animæ vires non tantùm à divinæ legis amore & custodia alienas reddere, ſed & hoſtile adverſus DEum odium in ijs accendere, perverſitate & contumacia indurare; at, cum jam corda lapidea facta eſſent, eadem eximere, abjicere & priſtina carnea revocare atque aſſumere, in ipſorum arbitrio & poteſtate nequaquam fuit, neque hodie in poſterororum viribus ſitum eſt. Eodem modo facilè Pharaoni & Judæis olim fuit, corda ſua, jam antè ex originali perverſitate lapidea, actuali malitia amplius indurare: ſed duritiem jam contractam animis deponere, & cor ad obedientiæ promtitudinem emollire, extra naturæ fuit poteſtatem: quæ etiam hodie omnium eorum, qui, ad Pharaonis & Judæorum exemplum, connatam cordium perverſitatem quotidianis peccatis augent & cumulant, eſt ratio. *Divinæ* itaque *gratiæ* & ſolius quidem opus eſt, manetque *cor lapideum ex carne auferre*, dare carneum, duram emollire mentem, ferreum cervicis nervum flectere; ad quod exequendum DEUS, præter alia, prævia CONTRITIONEM; priorem pœnitentiæ partem, adhibet, qua per legem ſuam, veluti malleum quendam petras confringentem, ut ſecura atque obdurata hominum pectora, peccatorum ſuorum iræ divinæ, & promeritarum pœnarum agnitione, paulatim molleſcant, aliquo modo efficit. *Divinæ gratiæ* opus hoc contritionis ſano ſenſu vocamus. Tametſi enim non Evangelio, quod gratiæ nuncium eſt, ſed lege, quæ iram operatur, mediante peragatur: quia tamen, ex intentione Dei, finem non habet, ut homo peccator ad deſperationem inde adducatur & interitum, ſed ut in eo deſiderium gratiæ, auxilii, ſolatii, remiſſionis peccatorum, iræ pœnarumque averſionis excitetur, hinc à divina gratia proficiſci rectè dicitur. Urere, ſecare, vomicam aperire, aliaque id genus, quæ dolorem pariunt, perficere, ut ægro recuperandæ ſanitatis via quodammodo paretur, fidelis medici eſt: ita lapidea & dura percutere & conterere corda, ut gratiæ divinæ capacia fiant, DEI benigni eſt ac clementis.

Soli⁹ enim DEI hoc opus eſt.

Applicatio

5. Hoc divinum *pœnitentialis Contritionis* opus animus jam eſt, nonnullis de genuina pœnitentiæ partitione præmiſſis, ſacro μελετήματι, ex Prophetarum & Apoſtolorum monumentis, breviter repetere, & piorum de eo colloquiorum inſtitu-

endorum

endorum præbere occaſionem, ut ſana doctrina partim amplius illuſtretur & ſtabiliatur, partim à variis corruptelis & heterodoxis opinionibus vindicetur. Quia enim ſuperioribus menſibus articulum de Pœnitentia in genere, ordinaria diſputatione, propoſuimus, & de ejus nomine, cauſis, objecto, ſubjecto, adjunctis &c: egimus, ipſe nos ordo & materiæ ratio obſtringit, ut nunc ad ſpecialem ſingularum pœnitentiæ partium, quarum prior Contritio eſt, meditationem progrediamur.

6. Placet autem è variis utriusque Teſtamenti locis, quæ huic de *pœnitentiali contritione* ſedem præbent, Pſami 51. verſ. 5. in frontiſpicio adſcripti (ut conſuetudini noſtræ inhæreamus) διασάφησιν methodicæ tractationi præmittere, qui in hebræo ita habet: פשעי אני אדע וחטאתי נגדי תמיד juxta Chaldæum: ארום מרודי קדמי גלי וחובי לקבלי תדירא quoniam ſcelera mea manifeſta ſunt, & peccatum in conſpectu meo ſemper. Juxta ſeptuaginta: Τὴν ἀνομίαν μου ἐγὼ γινώσκω, καὶ ἡ ἁμαρτία μου ἐνώπιόν μου διαπαντός. Juxta vulgatum: *Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Apud Tremellium & Junium: *Defectiones meas ego agnoſco, & peccatum meum obverſatur mihi jugiter.* Apud Lutherum German. Ich erkenne meine Miſſethat vnd meine Sünde iſt immer für mir. Apud Piſcatorem: Ich erkenne meine Vbertrettungen/ vnd meine Sünde iſt ſtets für mir. Apud Dietenberg. Ich erkenne meine Vbertrettung vnd meine Sünde iſt immer wieder mich. — Textus

7. Pſalmum quinquageſimum primum, qui inter pœnitentiales quartus quidem eſt, ſed, ſi dignitatem & doctrinarum, quas continet, ubertatem ſpectemus, facilè primus & præcipuus, variis hinc à Veteribus elogiis inſignitus. Chryſoſtomus in expoſitione ἐπιγραφῆς hujus Pſalmi fol. 692. tom. 1. edit. Savil. eum *imaginem* vocat: τὸν γὰρ ψαλμὸν εἰκόνα καλῶ, inquit, & mox, rationem appellationis reddens, ſubjicit: βλέπω γὰρ διάφορα πρόσωπα ἐν τῷ ψαλμῷ, ἁμαρτίαν ἐπιοῦσαν καὶ σφαττομένην, μετάνοιαν παρεστῶσαν καὶ συμμαχοῦσαν θεῷ, φιλανθρωπίαν ἄνωθεν λάμπουσαν, φιλοσοφίαν παρέχουσαν καὶ πολλὰς ἔχουσαν δακρύων πηγὰς ἐξομολογήσεως. Ταῦτα τὰ πρόσωπα τῆς εἰκόνος. Hortatur etiam ibidem, ut, miſ- — Pſalmus quinquageſimus primus inter pœnitentiales præcipuus,

fis

ſis aliis imaginibus, ē quibus vel nihil, vel parùm commodi in nos redundat, hanc maximè imaginem aſſiduè cōtemplemur: ἄφες, ait, ἐκείνας τὰς εἰκόνας, καὶ βλέπε ταύτην τὴν θεωρίαν. De ſeipſo ſcribit: Τί μοι ὄφελος βασιλέως καὶ ὑπάτου εἰκόνα ἰδεῖν; ἐὰν ἴδω ἁμαρτωλὸν καταπεσόντα καὶ πάλιν ἀναςάντα, ἡ θεωρία διδασκαλίας ὑπόθεσίς μοι γίνεται. Ἐὰν ἴδω δίκαιον ἑςῶτα, ἡ θεωρία πρὸς φιλοσοφίαν χειραγωγεῖ με. Ἀπὸ τῆς θεωρίας μανθάνω τὴν μάχην, καὶ παιδεύομαι τὴν νίκην. Ἐὰν ἴδω δίκαιον ὑποσκελιζόμενον, πάλιν σοφώτερος ὑπὸ τῆς θεωρίας γίνομαι &c. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 2. qua de peccato, pœnitentia & remiſſione peccatorum agit, eodem ferè modo loquitur. Ad Davidem enim ejusque pœnitentiam ubi provehitur, inquit: Ἐλθὲ ἐπὶ τὸν Δαβὶδ τὸν μακάριον, καὶ τύπον λάβε τῆς μετανοίας. Alii eundem *præclarum* appellant *pœnitentiæ theatrum omnibus ad DEum converti atq; à peccatis, ſive humana fragilitate, ſive malitia commiſſis, reſipiſcere volentibus, propoſitum & conſtitutum.* Alii *reſipiſcentiæ ſcholam omnibus apertam*, in qua diſcatur, *quæ ſit omnis mali ſcaturigo ſcilicet primorum parentum peccatum ad nos per carnalem nativitatem propagatum & in prima conceptione noſtra nobis infuſum, deinde qui hujus mali horribiles effectus, ſcilicet omnia peccata actualia contra utramq; tabulam Decalogi commiſſa, porrò quod remedium tantæ miſeriæ, nimirum DEI miſericordia: quæ via & ratio hujus conſequendæ, ſcilicet ſeria pœnitentia, quæ pœnitentiæ conſequentia, qui fructus* &c. Sunt, qui cum *templo Salomonis* hunc pſalmum conferunt, in eoque oſtendunt *altare, candelabrum aureum, variis lucernis inſtructum, arcam, labrum æneum, ſacrificia* &c. Sunt, qui *maximo alicui campo, in quo acerrimum committitur prælium, itemq; tabulæ artificioſiſſimè pictæ, in qua varia variarum perſonarum negotia repræſentantur*, ſimilem faciunt. Beatus noſter Lutherus in præfat. enarrat: hujus pſalmi tom. 4. lat. Jen. fol. 371. 6. *Hic pſalmus*, ait, *inter omnes pœnitentiæ pſalmos eſt celeberrimus, cujus, cognitio multis modis eſt neceſſaria & utilis; continet enim doctrinam de præcipuis noſtræ religionis capitibus* &c. Brentius hæc omnia ſecum expendens pag. 606. *cum noſtri*, inquit, *officij ſit, omnes Pſalmos in numerato habere, hic Pſalmus debet nobis præ multis aliis eſſe familiarior, adeoq; noſtris ipſorum nominibus notior* &c.

Qui quidē varios fidei articulos continet.

8\. Omnia rectiſſimè. Si enim & pſalmi ἐπιγραφὴν & pſalmum

mum ipsum, & singulos ejus versiculos, & singulorum versiculorum verba piè religioseque meditemur, ubique vel manifesta ac perspicua variorum fidei articulorum fundamenta, vel vestigia non omnino obscura deprehendimus. *Ministerium Ecclesiasticum* ejusque efficacia confirmatur in titulo, quando David non per visionem aliquam aut occulto modo, sed per concionem Prophetæ Nathanis vocatur & excitatur ad pœnitentiam. *De DEO ejusq; speciali attributo misericordia, ut & de vera solius DEI invocatione* v. 3. de *lege* v. 5. de *peccato actuali* v. 6. de *originali* v. 7. De *Evangelio*, quo continetur *veritas & occulta DEI sapientia*, cujus summa est, ut Lutherus inquit p. 390. b. *quod DEus peccatores, agnoscentes suam miseriam & confidentes misericordiæ, non velit abjicere pro merito, sed ex gratia salvare* v. 8. *De peccatorum expiatione*, Christi sanguine facta, adeoque de *vera justificatione hominis peccatoris coram DEO*, sub typo *hyssopi* v. 9. De *pace & gaudio conscientiæ* ex concione Evangelii natis v. 10. De *renovatione & sanctificatione* v. 12. *De fidei & Spiritus sancti per atrocia peccata amissione* v. 13. De *bonorum operum studio* v. 15. 16. 17. De *sacrificiis spiritualibus Deo placentibus* v. 18. 19. 21. De *Ecclesia ejusq; conservatione & propagatione* v. 20. Eminet tamen *doctrina sive articulus de pœnitentia*, cujus *singulæ partes* hoc psalmo, *ceu in illustri pictura spectandæ proponuntur*, quæ Lutheri verba sunt. pag. 372. a.

Inprimis tamen exactè tradit doctrinam de pœnitentia.

9. *Prior Contritio*, tametsi aliquot versiculis describatur & per totum ferè psalmum sparsa legatur: *quinto* tamen, qui nostræ jam meditationis est, præcipuè ob oculos ponitur, in quo ordine consideranda 1. *David*. 2. *Davidis peccatum*. 3. *Peccati agnitio*. 4. *Agnitionis perpetuitas sive perseverans continuatio*.

Cujus prior pars est Contritio comprehēsa versu quinto, in quo spectanda.

1. David.

10. *Davidis*, (juxta latinos *dilecti*) divina inspiratione, mentionem primùm facit Propheta Samuel. lib. 1. cap. 13. 14. non quidem vel familiæ, vel nominis expressione, quæ nondum ipsi revelata erant, sed singulari raroque elogio, quando eum vocat *Virum, quæsitum à Iehova, secundum cor ipsius*. Davidem enim eodem notari, nemo est, qui dubitat. Saulem ex tribu Benjamin pridem suo modo quæsiverat Jehova & invenerat *ad cor suum, sed tantùm aliquandiu*, non constanter. Quia enim

secundum cor Iehovæ is est, qui ab ipso immediatè vocatus, juxta voluntatem ejus res suas instituit, gerit morem, pietatem sectatur, varia virtutum edit specimina, certè quamdiu Saul talis fuit. Deum vocantem coluit, bella ad nutum ejus & ex occulto instinctu gessit, Samueli Prophetæ obtemperavit, specia-

Vir secundum cor DEI.

tim insigni animi demissione præditus fuit, nec verbis tantùm sed etiam factis ipsis eam ostendit, regiis honoribus se indignum æstimavit, eosque fugit, adeoque *parvulus in oculis suis fuit*, ipso Samuele teste, lib. 1. cap. 15. 17. *prudentia, clementia* fulsit 1. Sam. 10, 27. 11, 13. quis neget, eum fuisse virum ad cor DEI? David autem *finaliter* hoc elogio se dignum exhibuit, & *omnes DEI voluntates fecit* Act. 13, 22. Quæ quidem verba, sunt, qui *non de voluntate simpliciter omni* accipiunt, *non de voluntate, quæ fide, agnitione DEI ejusq; amore & cultu piis omnibus communi expleta est, sed tantùm de ea, quæ ad regni bellorumq; administrationem pertinuit*: Verùm non admittit hanc restrictionem, sive *ipsa phrasis*, sive Davidicæ *vitæ curriculum*, sive inter ipsum & Saulem *instituta oppositio*. Esse ad cor DEI non tantùm est administrantibus donis in publico officio ritè uti, sed etiam *vitam omnem ac mores ad nutum divinum componere*, atque inde DEO singulariter gratum esse & acceptum. Autor homiliæ de David & Goliath. apud Chrysost. tom. 1. pag. 635. statim sub initium, ad verba Jehovæ, *inveni mihi virum secundum cor meum, ô beatum*, inquit, *David, qui, quicquid DEus cogitat, gerit, quicquid mente concipit, perficit: cordi DEI cor proprium jungit, & menti ejus mentem suam annectit, ita ut, quæ vult DEus velit, & quæ non vult, similiter nolit atq; sic eum Dominus individuo amore & conjuncta charitate dilexit.* Hoc est *ad cor DEI esse*, quo instatu, ut omnem vitam perageret David à pueritia ad finem usque vitæ maximopere contendit.

Aliquando quidē lapsus.

Sanè factum semel iterumq;, ut in laudatissimo cursu non tantùm inpingeret, sed etiam graviter laberetur: quo tempore ipsum *secundum cor DEI* fuisse nemo dixerit: at quia non multo pòst rediit in viam, & quod *contra cor DEI* commiserat, *secundum cor DEI* maturè correxit: agnovit peccata, de iis doluit, voluntati divinæ ad quamvis castigationem, adeoque ad regni ablationem ac perpetuum exilium se subjecit, extremas injurias,

rias,

rias, convitia patienter tulit, & quod reliquum vitæ fuit, piè, ſanctè, religiosè tranſegit, hinc eum virum ſecundum cor DEI fuiſſe & manſiſſe, rectè dicitur: maculam vitæ ejus curriculum habuit, ſed quæ per ſeriam & maturam pœnitentiam eſt exterſa: quemadmodum & Jobus ſuos in graviſſimis calamitatibus habuit nævos, eosque non leves, nec tamen patientis nomen laudemque amiſit, ſed in Novo Teſtamento Jac. 5, 11. & inde in hunc usque diem retinuit. Atque eò ſpectat, quod Spiritus ſanctus cum 1. Reg. 15, 4. & 5. in commemoratione pietatis & laudum Davidis mentionem quidem peccati ejus facit, nihilominus teſtimonium ei perhibet, *quod fecerit, quic, quid rectum in oculis Domini, & non declinarit ab omnibus, quæ præceperit Dominus, cunctis diebus vitæ ſuæ*, nimirum non ad unum vel alterum ἀνόμημα, ſed ad perpetuæ vitæ tenorem reſpicit. Auguſtinus libro de octo quæſtionibus Dulcitii quæſt. 5. tom. 4. pag. 673. *Cum præſciret, ait, DEus, Davidem peccaturum, & peccata ſua pia humilitate & ſincera pœnitentia deleturum, cur non diceret: inveni David ſecundum cor meum: cui non erat imputaturus peccatum, tam multa bona facienti & cum tanta pietate viventi, & ipſa pietate pro peccatis ſuis ſacrificium contriti Spiritus offerenti? Propter hæc omnia veriſſimè dictum eſt: inveni David ſecundum cor meum, quia licet ſecundum cor DEI non eſſet, quod ille peccavit, tamen ſecundũ cor DEI fuit, quod pro peccatis ſuis congrua pœnitentia ſatisfecit. Hoc ſolũ ergo in illo ſecundum cor Dei non fuit quod illi Deus non imputavit: hoc itaq; ablato, id eſt, non imputato, quid remanſit, niſi unde veriſſimè diceretur: inveni David ſecundum cor meum.* Denique quemadmodum Saul, cui opponitur David, non tantùm in regio munere, ſed ex quo â DEo defecit, omnibus ferè actionibus *contra cor DEI fuit*, ambitione imprimis & invidia flagrans, inde factus crudeliſſimus, perfidus, ut & ſuperbus, avarus, inſignis hypocrita &c. confer ejus hiſtoriam 1. Sam. 14. & ſeqq. ſic quoque David non tantùm propter prudentem religioſamque regni gubernationem, ſed etiam propter alia vitæ officia & actiones, quas ad legis divinæ normam inſtituit, *ſecundum cor DEI fuiſſe* exiſtimandus eſt.

11. Non eſt loci aut inſtituti hujus, per omnes Davidis ireæ — Sed alias â prima pu

eritia pluri rimis virtutib⁹ præstans.

tates, & quantis virtutum ornamentis domi in paternis ædibus pueritiam & juventutem, quantis postea foris adultiorem & virilem ætatem, quantis ultimam senectutem condecorarit, percensere. Seriam pietatem & timorem Numinis haut fucatum omni tempore ab ipsis incunabulis ducem habuit: inde manavit singularis erga parentes reverentia, ad quorum nutum quosvis labores domesticos promtè subjit, alacriter expedivit, inde erga fratres amor & tuendæ concordiæ conatus, inde in aula regia erga Saulem fides ad negotia omnia, quantumvis cum extremo vitæ periculo conjuncta, alacriter conficienda, inde porro magna & admirabilis patientia, qua casus adversos, metu inprimis Saulis, jurati hostis sui, fere decennium, fortissimè tulit, inde inaudita & stupenda erga hostem mansuetudo, inde, cum superatis periculis, regni adeptus esset administrationem erga Deum gratitudo, religionis tempore Saulis collapsæ instauratio & confirmatio, justitiæ inter subditos tuendæ studium, inde postmodum, cum filii Absolonis seditione regno pelleretur, prorsus incomparabilis voluntatis in divinam voluntatem deditio, & quædam quasi immersio, qua se ad perpetuum exilium &, quas hoc suo complexu continet, omnes calamitates exantlandas obtulit, inde virtutes aliæ plures, ac tandem earundem laudatissima obsignatio, qua moriturus Salomonem filium regniq; optimates gravissimo sanctissimoque sermone ad timorem DEI, ad sincerum cultum divinum, ejusque conservationem & propagationem cohortatus fuit. Factum hinc, ut insequentibus temporibus Spiritus sanctus in Regibus Judæ sive laudandis, sive reprehendendis, Davidis exemplo, veluti regula quadam usus sit, atque eum *rectum justumq;* prædicarit, qui eidem extitit similis, contra impium & perversum, qui non ejus more ambulavit. De Asa 1. Reg. 15, 11. ait: *fecit in conspectu Domini rectum, sicut David pater ejus:* eodem modo de Hiskia 2. Reg. 18, 3. Contra de Salomone 1. Reg. 11, 4. *non fuit cor ejus perfectum cum Domino DEO suo, sicut cor Davidis patris ejus:* Sic quoque de Abia cap. 15, 3. confer apud Chrysost. homil. de Davide & Saule, itemque alteram de Davide & Goliatho, tom 1. pag. 604. & seqq. *ubi David illustris in cœlo, illustris in terra* dicitur, *qui animi moderatione ad Evange-*

angelicæ Philosophiæ fastigium pervenerit, qui millies martyrij coronam meruerit, qui homo in natura humana vitam præstiterit angelicam &c. Disputant in Papatu Scholastici, cum hanc de sanctitate Davidis materiam tractant, pro more otiosè & curiosè, *an David æquè sanctus atq; Patriarchæ Abraham, Isaac & Iacob fuerit, an sanctior?* Qui sanctitate Patriarchis parem fuisse sentiunt, nituntur autoritate 2. Sam. 7, 9. ubi Jehova ad Davidem, *feci*, inquit, *tibi nomen grande, juxta, nomen magnorum, qui sunt in terra*, magnorum nomine tres Patriarchas modò nominatos intelligentes. Qui sanctiorem & speciatim quidem Abrahamo extitisse volunt, varia colligunt: ajunt, *fuisse excellentiorem Prophetam, plura illi divinitus significata; fuisse insuper chariorem & amiciorem DEO, amplioribus beneficiis ab eo ornatum, longius etiam propagasse & amplificasse divinum cultum &c.* Qui vult videat Tostat. in cap. 22. Matth. Salmeron. tom. 3. tract. 26. Pined. de rebus Salomonis lib. 1. cap. 2. pag. 10. Sebastianus Barradius tom. 1. cap. 15. pag. 204. occasione verborum 2. Reg. 23. 25. *Non fuit similis Iosiæ ante eum Rex* &c. disputat, *annon David omnibus regibus virtute major fuerit?* Affirmat, adducto testimonio ex Syrac. 47, 2. sicut *adeps separatus à carne, sic David à filiis Israël* &c. Subnectit: *quemadmodum adeps à carne separatus præstantior ipsa carne hostiæ erat & sanctior, quia Deo in altari incendebatur: caro verò partim sacerdotibus, partim offerentibus cedebat:* Ita *David cæteris Israëlitis erat præstantior & sanctitate illustrior.* Pluribus hanc similitudinem persequitur Pined. cit. loco, sed talibus quæ scriptione indigna videntur.

12. Quamvis verò præ infinitiis aliis pietate & sanctimonia insignis, pro ratione fragilitatis & infirmitatis vitæ hujus, David fuerit, *in gravia tamen & atrocia lapsus est peccata*, de quibus in textu nostro loquitur: lapsus, Diaboli instinctu & suggestione, proprioq; vitio, securitate, curiositate, otio, non verò *ex vi & efficacia arcanæ volūtatis seu decreti divini*, quod ipso opere docent, qui non sine horrenda blasphemia scribunt: *DEum velle, decernere, procurare hominum peccata, eorumq; opera insana, stulta crudelia: velle atque efficere ut impij in concupiscentiis vivant:* qualia ἀκούσματα φορτικώτατα olim, ut pluribus aliis, ita Johanni Piscatori valde fuerunt familiaria, ut ex variis ejus

2. Davidis Peccatum.

scriptis, præcipuè iis, quæ contra Schaffmañum, Bertium, Doct. Taufrerum, Vorstium edidit, liquet: in quibus disertè *DEus*, inquit, *cum opera hominum omnia procuret* (*quippe per quem vivimus & movemur Act.* 17.) *procurat utiq; etiam opera illorum stulta & crudelia & insana* &c. confer Act. Synodal. Remonstrant. part. ult. syllabum testimoniorum, quibus ContraRemonstrantium sententia de gratiæ operatione exhibetur pag. 48. & seqq. Nihil hujusmodi historia sacra innuit vel minimo indicio, cujus divinus ac immediatè illuminatus scriptor, cui omnino mentem suam aperuit Spiritus sanctus, posteaquam atrocia Davidis peccata per omnes circumstantias recensuit, caput 11. tali claudit epiphonemate. *Displicuit id, quod fecerat David, in oculis Iehovæ.* Displicuit, ergo non procuravit, ubi in distinctione inter *voluntatem signi & beneplaciti* effugium quærere velle, intolerabile est. Nam non admittit phrasis, *in oculis DEI*, quæ alteri *in corde DEI* per omnia respondet. confer. Gen. 6, 6. 8, 21. Jer. 7, 30. 31. 19, 5. 32. 5. unde *oculi & cor* conjunguntur 1. Reg. 9, 3. 2. Chron. 7. 16. Jam quemadmodum *quod in corde Deo displicet, ipsi per omnia displicet* atque inprimis interiori & essentiali justitiæ adversatur, quæ suo modo ipsum ejus cor est: sic quoque *quod in oculis eidem displicet, absolutè atq; omnibus modis displicere credendum est*, ut proinde ab eo procurari nulla ratione queat. Omittimus, quæ contra monstrosam opinionem seq. 12. cap. 2. Sam. ex missione divina Nathanis Prophetæ ad Davidem, ex ejus concione & comminatione, ex Davidis pœnitentia &c. argumenta numero plurima, robore invicta sua sponte se offerunt, unde etiam Petrus Martyr commentar. in 2. Sam. 11. pag. 236. b. ad verba: *Displicuit Iehovæ, significanter*, ait, *habemus, factum Davidis displicuisse Domino*, & Piscator ipse in observat. 8. ad dictum caput: *DEus peccatis electorum offenditur*: quod uti verissimum est, ita falsissimum esse necesse est, DEUM ea occultè procurarre. Sed de his alibi uberius.

Nequaquã à Deo procuratum.

13. Cæterùm duo distincta textus noster Davidici peccati nomina habet. Prius est פשע à פשע *defecit rebellavit, prævaricatus est.* Veteres hæbreorum æquipollere ajunt verbo מרד quod est *exire à voluntate, vel potestate, vel præcepto Domini*

Quod duobus nominibus describitur פשע

ex su-

ex superbia. Confer Pagnin. Lexic. pag. 2259. ſed ex locorum ſcripturæ collatione liquet, longè patere latius, & generaliter etiam *ſignificare legem quocunq; modo transgredi, pactum vel præceptum violare.* Unde פשע *defectio, rebellio prævaricatio.* Chaldeus per vocabulum מרוד quod propriè *rebellionis* grande ſcelus notat, tranſtulit, de quo plura apud Buxtorf. Lexic. Chald. Talmud. pag. 1251. Græci generaliſſimum nomen hic habent *ἀνομία*, qui alibi per *παράβασιν, ἀδίκημα, ἀσέβειαν,* reddiderunt; quos etiam Latinus vulgatus ſecutus eſt, qui, cum hoc loco vocem *iniquitas* uſurpet, alibi per alia ſcilicet *delictum, injuſtitia, ſcelus, ignorantia, impietas* transfert. Poſterius eſt חטאה à חטא verbo generali quod ſignificat *errare* quocunque modo *deviare, deflectere*: extat Jud. 20, 16. ubi ſeptingentorum funditorum fit mentio, quorum tanta fuit peritia, ut *quisq; illorum funda mittens lapidem ad capillum ſine erratione mitteret*: quæ verba ſacram habent hyperbolen, qua ſumma jaculatorum deſcribitur experientia, per quam rem quantumvis parvam tenuemque attingerent, nec aberrarent, qua cum nonnulli conferunt. Job. 5, 24. *viſitabis ſpeciem tuam* (juxta hebraic. habitaculum tuum) & *non peccabis*, id eſt, non aberrabis, ſed facilè invenies, unde quidam τὸ חטא dici arbitrantur, quaſi מחוט נטה à *filo vel linea & perpendiculo declinavit* & deflexit. Specialiter tamen & creberrimè quidem in ſcriptura ſacra ſignificat *aberrare à lege divina*, contra eam peccare & delinquere, unde nomina חטא *peccator*, transgreſſor legis, & חטאה *peccatum* in genere omne, ſive majus, ſive minus, ſive erratum, ſive ſcelus, ſive ex infirmitate, ſive contra conſcientiam committatur: aliquando tamen etiam *peccati pœnam* denotat, itemque expiationem & piaculum ſive ſacrificium expiationis. Græci ut hic loci, ſic & alibi frequentiſſimè reddiderunt per *ἁμαρτίαν* ab *ἁμαρτάνω*, quod ipſum quoque verbum idem eſt, quod apud Latinos à ſcopo aberrare, in negotio aliquo & actione. confer. loc. cit. Jud. 20, 16. ubi periti jaculatores dicuntur *ὁ διαμαρτάνοντες*: deinde verò ad legis divinæ violationem & transgreſſionem exprimendam adhibetur. Vulgata verſio nomen *peccati* habet de cujus varia apud varias Etymologia antehac diſp. de peccato in genere §. 11. egimus, confer Martin. Lexic. pag. 2563. חטאה

14. Duo

14. Duo hæc nomina cum aliàs, uti dictum, generalis sint significationis, & quamcunque transgressionem legis divinæ denotent, quo sensu hoc loco accipienda, ex ipsis historiæ & totius Psalmi circumstantiis est conspicuum. Non certè levius aliquod ex infirmitate aut ignorantia perpetratum peccatum, sed atrox & grande flagitium, neque unum tantùm, sed multorum συνδρομὴν & concursum designant. Rabini quidam, notante Nicolao de Lyra & Dionysio Carthusiano, Davidis adulterium excusare moliti sunt, & tradiderunt, *Bathsabeam ab Vria, cum militiæ nomen daret & in bellum, Archistratego Ioabo, ad expugnationem Rabba proficisceretur, repudij libellum usitato militum more, accepisse*: sed audacissimũ & intolerabile hoc figmentum esse, plurima ex historiæ consideratione emergentia argumenta clarum faciunt. Confer Alphons. Tostat. in 2. Regum (Samuelis) cap. 11. quæst. 8. pag. 106. copiosius pro more de hac Judæorum fabula disputantem. Non desunt, qui, si non per omnia, ex parte tamen aliqua, aut saltem ad apparentiam adulterium Davidis posse excusari sentiunt. Ajunt, *adulterium uno duntaxat actu, adeoq; non ex inveterato habitu, itemq; non ex deliberatione prævia, sed derepente & ex improviso Davidem commisisse, quod ex historiæ verbis, accidit, ut surgeret David &c. constare arbitrantur. Insuper, peccato perpetrato, adulteram subitò in domum suam remisisse, ut legalem purificationem de more Judaico obiret, unde rectè colligatur, eum unâ tantùm vice, marito superstite, cum ipsa peccasse: quæ omnia aliquatenus saltem & â nimia atrocitate ac gravitate adulterij peccatum excusent.* confer Julii Mazzarini super Psalm. 51. discursum septimum lit. E. & seqq. pag. 50: ex quo desumsit, quæ sua fecit, Fornerus in *Rege Hebronensi* & explicatione Psalmi 51. conc. 1. pag. 7. Verùm si per omnes eamus flagitiorum circumstantias, tanta eorum ob oculos sese ponit atrocitas, ut satis verbis exprimi nequeat. Adulterium quantum in se scelus? quanta severitate in sacris literis & Decalogo prohibitum? quod malorum radix est? quàm graviter omnibus seculis â Deo punitum? quanto hinc studio â piis bonisque omnibus evitatum? Eodem modo homicidii, cujus primus patrator, Christi Salvatoris pronunciato, Diabolus est, quis immanitatem unquam satis sermone exposuit? quo

Et nequaquam leve & excusabile.

Sed longê gravissimũ atq; atrocissimum.

quo leges naturales, divinæ, civiles, evertuntur? Atque hæc ſcelera cum in ſe ſint abominanda, â quo tandemcunque peragantur: magis tamen horrenda & deteſtanda fiunt, ſi à Rege admittantur, & tali quidem, qui, præ infinitis aliis, divinæ ſapientiæ lumine & rerum ſacrarum ſcientia ſit præditus. Nota eſt Satyrici ſententia:

Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò major, qui peccat habetur.

Neque verò *adulterij* tantùm & *homicidij* reus David fuit, ſed *aliorum criminum plurium*, quæ illa partim antegreſſa, partim ſecuta ſunt, turpis otii, curioſitatis, perfidiæ, cædis plurimorum ſubditorum, ſecuritatis, atque ipſius indurationis, ex qua diu ſatis graviſſima flagitia nec agnovit, nec de pœnitentia cogitavit. Acceſſit horrendum ſcandalum quod toti dedit populo, ac *blaſphemare etiam fecit inimicos nomen Domini.* 2. Sam. 12, 14. ad quæ verba Salvian. lib. 4. de gubern. pag. 153. *Qui blaſphemare alios peccans fecerit, neceſſe eſt peccatum hujus ſupra criminis humani eſſe menſuram, quia per convitia plurimorū inæſtimabilem DEO facit injuriam.* Lutherus noſter in præfat. enarrat. Pſalm. 51. tom. 4. lat. pag. 372: *In Davidis*, ait, *facto plura, quàm unum cum Bathſeba peccatum videntur: adjicit enim adulterio peſſimum conſilium de occidendo Vria, adornat ipſam cædē Vriæ & ſimul aliorum plurium Iſraëlitarum, blaſphematur nomen Domini, & ſic ultra quintum, & ſeptimum præceptum progreſſus, etiam in primum, ſecundum & tertium præceptum peccavit: Ergo inſigne exemplum eſt David, ſic ordine in totum ferè Decalogum impingens* &c: Et paulò pòſt: *Vir tantus prolabitur non in unum leve peccatum, ſed in monſtra plurium peccatorum ſimul: &, quod periculoſiſſimum eſt, prolabitur in impœnitentiam & altam ſecuritatem, adeo ut ſi Nathan non veniſſet, David fortè peccaſſet in Spiritum ſanctum* &c. 3. Peccati agnitio.

15. Hoc *peccatum*, id eſt, peccatorum denſum quoddam agmen, tandem *agnovit, ſibiq́ꝫ in conſpectu poſuit* David. Ait enim: *Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum coram me eſt.* Hebræum אדע â ידע eſt verbū ampliſſimi uſus: ſignificat enim *ſcivit, novit, didicit, intellexit, expertus eſt, approbavit, fovit, inſpexit, miſertus eſt, honoravit, curavit, benefecit,* videndi Lexicographi, inprimis Pagninus. Hoc loco, quod non nu- Non nuda ſed cum affectu cōjuncta.

dam

dam scientiam aut cognitionem omni affectu vacuam, sed cum variis conjunctam animi motibus denotet, per se manifestum est. Qui motus quales sint, ex verborum serie atque ardentibus patescit gemitibus. *Cognoscunt etiam impii quidam & securi sua cum affectu peccata*, sed tali, ut de iis *lætentur* & *gaudeant*: *lætantur* inquit Salomon Prov. 2, 14. *cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, quorum viæ perversæ sunt.* Ambros. in h. l. tom. 4. pag. 385. *pleriq; in suis lapsibus gloriantur & putant, ea laudi esse quæ crimini sunt: alienum coinquinare thorum, hominem occidere, rapto vivere, circumvenire & fallere, virtutis & sapientiæ esse putant* &c: Tales extiterunt ex Judæis nonnulli, de quibus Jesa. 3, 9. *Agnitio vultus eorum respondit iis,* (Lutherus ad Hebræum reddidit Ihr Wesen hat sie kein heel) *& peccatum suum, quasi Sodoma, prædicaverunt nec absconderunt*: confer. Jer. 11, 15. *In malitiis tuis gloriata es* &c. ut & Psalm. 52, 3. Sunt *affectus istius agnitionis peccati* omnium maximè abominandi: non enim scelus altiùs ire potest, quàm si ex eo gaudium capiatur, hæc extrema est impietas atque ejus ἀκμὴ, qua de re Salvianus lib. 7. de gubern. pag. 280. *Solet res flagitiosa, quando agitur occultè, fidem facinoris non mereri: supra autem omnem monstruosi piaculi execrationem est, seclus summum admittere, & pudorem sceleris non habere* &c. Tales, *quod unum adhuc habebant in malis bonum, perdunt, peccandi verecundiam: laudant enim ea, quibus erubescant & vitio gloriantur*, inquit Seneca lib. de vita beat. cap. 12. apud Rittershusium commentar. in Salvian. pag. 318. *Deinde peccata sua quoq; cum affectu cognoscunt, qui desperant*: peccatum fratricidii gravissimum esse, agnoscit desperabundus *Cain* Gen. 4, 13. similiter *Saul, Achitophel, Iudas*, scelera sua agnoscunt, sed ut ad horrendam eorum larvam nimis contremiscant, & omnem consequendæ gratiæ spem abjiciant. Verùm *talis affectus* in Deum ejusque veritatem, misericordiam, promissiones, in meritum Christi ejusque efficaciam & amplitudinem blasphemus est. Alios planè affectus animo habet David, cum ait: *Iniquitatem meam ego cognosco.* Non lætantis, sed intimè dolentis verba sunt. Expendit tecum diligenter atrocitatem suorum peccatorum; expendit multitudinem singularium planeq; extraordinariorũ beneficiorum, quibus, præ infini-

Nec tamen tali qualis est securè impiorum.

Desperantium.

infinitis aliis, à DEO non affectus tantùm, sed cumulatus fuit; expendit detestandam ἀχαριστίαν & horrendum eorum abusum; expendit inde iram DEI consumentem, quam adversus se concitavit; expendit ex ira maledictionem & pœnas temporales & æternas, quas promeruit, inde mœror oritur & tristitia, qua DEum super omnia diligendum, peccatis suis gravissimè læsum, deplorat, inde lugubres & lamétis plenæ voces, quas per psalmos pœnitentiales legimus, ut ita verborum Davidis, iniquitatem meam eo cognosco, sensus sit. *Iam quid peccatum sit meum, reipsa experior, sentio detestandos fœdissimi adulterij, crudelissimi homicidij, aliorumq; scelerum iis conjunctorum fructus, ô ter quaterq; horrendos! Video, quantis jam sim exutus bonis, quibus pridem abundavi, quantis contrà malis sim obrutus, quibus liber fui, versantur ante oculos terribilia facinorum spectra, ante aures formidabilia comminationum & maledictionum fulmina: ad quæ toto pectore contremisco, toto corpore perhorresco & concutior: heu me omnium miserrimum!* Hos enim Davidis, posteaquã ad peccatorem suorũ perductus est agnitionem, fuisse interiores affectus, externas voces gestusque, ex pœnitentialibus psalmis satis est manifestum. Sed tamen, inter hosce pavores animi & consternationes, nõ despondet animum aut succumbit, sed mente ad immensam DEI misericordiam & clementiam, ad benignissimas promissiones, ad aliorum, qui per pœnitentiam peccatorum remissionem consecuti sunt, exempla conversus, spẽ meliorem concipit, eàque sese erigens dolorem mitigat: quin ex ipsa peccati agnitione, quam à DEo requiri novit, benè sperandi materiam haurit.

Sed qui conjunctã habet spẽ gratiæ.

16. Ast unde hæc in Davidico pectore peccati agnitio? Ille אני *Ego* inquit, *iniquitatem meam agnosco*, quæ verba ipsum Davidem hujus agnitionis operantem causam facere videntur, quod, cum aliquamdiu peccatis indulserit, parumque ea curarit, tandem arbitrii sui viribus ea ad animum revocare, deque iis dolere inceperit. Verùm, si, quæ ipsius ex eo momento, quo in adulterium impiè consensit, fuerint consilia, studia, actiones, consideremus, tantum abest, ut eum à seipso ad peccatorum agnitionem se erexisse, ut potius è contrario longius subinde atque longius ab eadem avocatum fuisse, manifestò

Cujus agnitionis nõ ipse ex viribus suis operans causa fuit.

deprehendamus. Nam ubi ſcelus fuit patratum, adulteram in ædes ſuas dimiſit, per omnia ſimilis illi, *quæ comedit, & tergit os ſuum, & dicit ſecum: non ſum operata malum.* Prov. 30, 20. Paulò pòſt, cum Bathſebam ex nefando concubitu eſſe gravidam, accepit, ut facinus contegeret, varia machinatus eſt, è caſtris Uriam vocavit, & *ut deſcenderet in domum ad uxorem ſuam,* monuit, alienum, quantum in ſe, hæredem ſuppoſiturus: quod cum ex voto non ſuccederet, poſtridie eum ad ſe invitavit, atque epulis & crapula ad conjugalem cum uxore conſuetudiné permovere conatus eſt: ſed cum nec hoc, ob ſingularem Uriæ pietaté, per quam etiam licita voluptate, in Reipubl. periculo abſtinere ſecũ firmiter conſtituerat, obtineret, ad homicidiũ nefario decreto prorupit, Ducis Joabi opera, ad flagitia ſua abuſus eſt, & ut Uriam virum ſanctum, fidum, fortem, innocentem, imò de Republ. ſingulariter meritum, inter heroas 1. Chron. 12, 41. numeratum, è medio tolleret, mandavit: mox allato de Uriæ cæde nuncio, gaviſus eſt, ſibique gratulatus, ac Joabum ſceleris ſocium hortatus, ut ſtrenuè rem urgeret, nec animo frangeretur, conſolatus ſimul, more planè ethnico, è communibus belli eventis, & quod per Martem ἀλλοπρόσαλλον interdum hi, interdum alii gladio pereant: tandem nequid deeſſet, adulteram in domum ſuam recepit. 2. Sam. 11, & ſeqq. Nullum in his omnibus ſeriæ ac ſalutaris peccatorũ agnitionis veſtigium, argumenta verò auctæ indies, integro ferè anno, ſecuritatis, cæcitatis, indurationis haut pauca. Venit autem tandem, juſſu divino, Nathan Propheta, & parabola piè ingenioſa grande Davidi exprobravit facinus, quod cum ipſe plures haberet uxores, nihilomin⁹ furore libidinis accenſus, Uriæ unicam & chariſſimam conjugem rapuiſſet & violaſſet, quin& optimum maritum gladio Amonitarum occidiſſet: cui exprobrationi graviſſimas ſubjunxit minas, fore ut *gladi⁹ de domo ejus non ſit receſſurus in ſeculũ*, ut ex ipſa ejus domo inexpectati hoſtes, variaq; calamitatum flagella, ſint proditura. 2. Sam. 12, 1. & ſeqq. Atq; hac concione Davidi quodammodo mentis oculi, quos ſat diu hactenus ſecuritas clauſos tenuerat, aperti ſunt, ut in ſe redierit, peccata ſua, eorumque atrocitatem agnoverit, deque iis doluerit, & ſeriò quidem: Tametſi enim hiſtoria 2.

Sed DEus per Prophetæ Nathanis cõcionem.

Sam. 12,

Sam. 12, 13. rem totam una voce *peccavi* exprimat, plurima tamen & maxima eadem comprehendit, nimirum omnia suspiria, gemitus, preces, clamores, lacrymas, vigilias, quibus integras noctes impendit. Testes sunt Psalmi pœnitentiales, qui, in verbum *peccavi*, illustria commentaria continent & exhibent. Omnia hæc Nathanis Prophetæ concio operata est, qua sine David suis arbitrii viribus peccati veternum non modò non excussisset, sed & amplius eodem fuisset oppressus. Augustinus in Psal. 51. tom. 8. pag. 486. *David*, inquit, *aliquamdiu post tergum ponebat, quod fecerat, suiq; oblitus alienæ iniquitatis severus admodum, quamvis justus judex erat, verùm ubi Nathan peccatum ejus auferebat à dorso & ante oculos ponebat, ad secandum & sanandum vulnus cordis ejus ferramentum faciebat de lingua ejus, dicens ei: Tu es ille vir &c. Inde igitur non tantùm ibi erumpebat in hanc vocem: peccavi Domino, sed etiam hoc loco inquit, iniquitatem meam ego cognosco.* Ergo David, licet, *ego*, dicat, *iniquitatem meam cognosco*, nequaquam tamen ex seipso hanc se excitasse cognitionem, asserit, sed divinam in se, per concionem Nathanis, operationem & efficaciam, cui non sit reluctatus, veneratur & deprædicat, ut sensus sit: *Ego, qui hactenus densissimis quodammodo securitatis tenebris immersus, atrocia peccata à me commissa non curavi, de iis non dolui, jam, posteaquam Iehova Prophetam ad me misit præconem pœnitentiæ, novo lumine sum imbutus, ex quo nata peccatorum meorum vera agnitio, serius dolor, primus salutaris ad DEum conversionis gradus, non obscurum venturæ gratiæ indicium. Iam non amplius, ut pridem, peccata mea abscondo, sed ostendo, accuso, non excuso, spe bona fretus, fore ut quo majore humilitate ego peccatum meum agnosco, hoc majori gratia DEus ignoscat; magna DEI bonitas, quæ peccata revelat, ut deleat!*

17. Seriam minimeque fucatam esse *iniquitatis agnitionem*, intra animum suum, amplius confirmat David, cum subjungit: *peccatum meum coram me est.* Hebræo נֶגֶד à נגד respondent Latina, *coram, ante, contrà, è regione, ex opposito, è longinquo* &c. Latini interpretes nonnulli per præpositionem *coram*, quidem per alteram *contra*, quidã promiscue reddiderunt. Utraq; significatio non incommodè retinetur, imò ex consideratione pœnitentiæ Davidicæ retinenda est, quanquam prior præfe-

Ex qua factum, ut peccatum, quod pridem non curarat, ipsi in cõspectu sit positum & *coram*.

renda ſit. Nam David præcipuè id agit, ut oſtendat, (quæ Auguſtini verba ſunt) *ſe non ponere poſt dorſum ſuum, quod fecit, non intueri alios, ſui oblitum, non affectare ſtipulā ejicere de oculo fratris ſui, cum habeat trabem in oculo ſuo*, non deponere ejus memoriam, ſed ſemper revelare, recordari & ante oculos habere. Ante lapſum læta mente, ſerena conſcientia, hilari fronte & lingua dixerat: *non impiè deſcivi à DEO meo, quia omnia judicia ejus coram me & ſtatuta ejus non abjeci à me.* Pſal. 18, 22. & 23. legem divinam ſemper in conſpectu habuerat, ad hanc retulerat mentem & oculos, ad hujus præſcriptum inſtituerat vitam ſuam, *in hac voluntas ejus & meditatio die ac nocte* Pſal. 1. 2. *Iam poſt lapſum* è contrario triſti pectore, animo perturbato, vultu & ore ſqualido dicit: *peccatum meum coram me eſt*; horribile monſtrum, ad cujus intuitum miſer contremiſco. Tametſi verò David hoc præcipue ſpectet, ſimul tamen tacitè conqueritur, peccata ſua, quæ *coràm* videat & contempletur, *contra ſe* ſtare, eſſe hoſtes ſuos truculentiſſimos, acerbiſſimos accuſatores, teſtes moleſtiſſimos, tortores crudeliſſimos, flagella duriſſima &c. jam ſentire ſe & experiri vim divinæ comminationis Pſal. 50, 21. *Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam, quia cum adulteris portionem poſuiſti.* Atque ita idem ferè dicit, quod poſtea Judæi Eſa. 59, 12. *multiplicatæ ſunt iniquitates noſtræ & peccata noſtra reſponderunt nobis, quia ſcelera noſtra nobiſcum & iniquitates noſtras cognovimus* &c. Varia & multiplicia peccata, quæ patravimus, magno & hoſtili agmine in conſpectum noſtrum prodeunt, nos accuſant, contra nos teſtantur, & una voce, ut perdamur & deleamur meruiſſe, clamant: qua ratione etiam Ambroſ. in Apolog. David. priori cap. 9, tom. 4, pag. 385. vocem *coram* intelligit: ubi piè graviterque, *inſipiens*, ait, *delectatur erroribus ſuis & novis vetera obumbrando peccatis ſe exiſtimat adjuvari, ideoq; exultat in crimine. At vero ſapiens adverſum ſe judicat eſſe delictum ſuum & tanquam hoſtiles acies; ita lapſus culparum ſuarum adverſantium modo ſibi arbitratur obſiſtere: quicquid perſonuerit, quicquid increpuerit, culpa ei propria ſemper occurrit, quicquid fuerit dictum aut lectum, in ſe dictum putat: quicquid intenderit, ſe nutu, ſe oculis ſignari putat: ſi epuletur, ſi cogites, ſi oret ac deprecetur, ante oculos ſemper eſt error proprius, &*

momentis

momentis omnibus culpa pulsat conscientiam, nec quiescere, nec obliviscì finit, velut gravis censor exagitat se terrore perpetuo: omnia igitur adversa habet, qui ipse sibi displicet, ipse sui accusator, ipse sui testis est, nec invenit, quò fugiat, quippe se perurget & stimulat. Sed hoc bonæ mentis est, vulnus sentire peccati: ubi enim doloris sensus est, ibi etiam est sensus vitæ: sentire enim vitalis vigoris ac muneris est &c. Nec aliter Lutherus noster, qui verborum, *peccatum meum coram me est,* hanc subnectit παράφρασιν: *incumbit cervicibus meis, premit me, non possum eo planè liberari, urget, nō admittit ullam quietem, non pacem, non vino, non pane, non somno excutitur* &c. Hunc esse verborū sensū, versiculorum συνέχεια ostendit, ubi tamē nō rejicim⁹ Brentii sententiam, qui de peccato originali Davidem loqui arbitratur: *Quod est illud peccatum,* inquit, *quod coram Davide est? Originale. Hoc enim peccatum David fatetur semper esse coram se & in conspectu suo, quia caro, in qua hoc peccatum habitat, semper concupiscit adversus spiritum, & homo volens facere bonum semper reperit, quod malum ipsi sit adjunctum* &c. Rectè sanè, si non exclusivè dicta intelligantur: à peccatis enim actualibus, quæ coram se habuit David, ad fontem & radicem eorum peccatum scilicet originale descendit: atq; ita & maledictam arborem & pestilentes fructus ob oculos sibi posuit.

18. Superest *hujus agnitionis peccatorum perpetuitas & perseverans continuatio.* Transierat nefandus adulterii cum Bathseba actus, transierat crudelis homicidii patratio: at non ita etiam David transire patiebatur scelerum considerationem, deque iis animo dolorem conceptum, sed eorundem assiduè recordabatur: redibat per intervalla in memoriam atq; oculis sese mentis sistebat *occasio,* ex qua in crimina tam gravia prolapsus fuerat, *otium, curiositas*: sistebant se *flammæ libidinis*, quibus incensus Bathsebam vocarat, sistebant *impura colloquia & persuasiones*, adeoque ipse *flagitiosus* cum adultera, quam blandimentis suis seduxerat, *congressus*: redibant etiam impiæ machinationes, quas ad tegendum & occultandum vitiati alieni thori crimen excogitarat, redibat callida Uriæ à castris revocatio & inebriatio, sanguinariæ & crudeles ad Joabum literæ, ipsa viri & religiosissimi & fortissimi cædes, subditorumque aliorum plurium

4. Agnitionis perpetuitas.

plurium in hostium manus perfidiosa traditio. Hæc terribilia spectra in conspectu habebat semper תָּמִיד Hebræum est, quod cum nomen sit, cui latina *continuus, perpetuus, jugis* respondent, adverbialiter tamen plerumque usurpatur, sed *sensu diverso*. Nam interdum *omne tempus* & continuam durationem sine intervallo denotat. Confer Levit. 6, 12. Num. 4, 7. Phil. 4, 4. 1. Thess. 5, 16. aliquãdo item valet quod *crebrò*, frequẽter, sæpissimè. Deut. 9, 7. ex *eo die quo egressus es ex Ægypto semper* (juxta vulgatam versionem, in Hebræo enim non extat) *adversum Dominum contendisti* v. 24. *semper fuisti rebellis* cap. 31, 27. *semper contentiosè egistis contra Dominum*, id est, sæpe, crebrò, arrepta quacunq; occasione. Nam quod non indesinenter, omni die & hora, per tot peregrinationis annos, contenderint, ex historia sacra constat: imò interdum piè religioseq; sunt locuti. Exod. 19, 8. *Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus*, piè etiam ac religiosè fecerunt cap. 35, 20. & 21. *Omnis multitudo filiorum Israel obtulerunt, mente promptissima atq; devota, primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi testimonij*. Ergo *semper* idem est, quod *frequenter, sæpissimè*: quo etiam sensu accipienda verba Psalm. 95, 10. *quadraginta annis offensus fui generationi illi, semper hi errant corde*: itemque salvatoris Christi Luc. 18, 1. *Oportet semper orare & nunquam deficere*: ubi nonnullis τὸ *orare est operari*, sive bonis vacare operibus, id quod perpetuò à Christiano homine requiritur: aliis *vitæ beatæ & æternæ flagrare desiderio*, quod ipsum quoque perpetuum esse debet. Sed ex ipsa parabola, quæ statim subnectitur, manifestum est, τὸ *semper* æquipollere τῷ *frequenter*. Vidua enim non continuè nocte dieque inclamavit in iniquum judicem, *vindica me de adversario*, sed sæpe, frequenter, per intervalla, crebrius' eodem die, nec desiit, donec expugnavit animum ejus, & quod voluit, obtinuit: ita Christi monitum non simpliciter continuationem & perpetuitatem, sed iterationem & constantiam in precibus exigit, ut si mâne ad preces auxilium non feratur, vesperi eædem repetantur: si hodie ex voto non impetremus, quod petimus, postero die ad eandem orationem redeamus, nec ex tædio aut desperatione eam intermittamus: Non enim decet ἐκκακεῖν, sed perseveranter instare. Non ta-

men

men rejicitur eorum explicatio, qui de mentali oratione & assiduis cordis affectibus, aut de corde ad pias preces semper parato Christi verba accipiunt. Confer Lutheri enarration. orat. Domin. tom. 1. Jen. germ. pag. 69. a. ubi ait: de spirituali oratione dicta sunt verba, *oportet semper orare*, hæc enim semper fieri potest etiam in externis laboribus &c. Piè Basilius homil. in martyrem Julittam tom. 1. pag. 317. & seq. ad verba Apostoli. 1. Thess. 5. *sine intermißione orate: Non oportet orationem plenè in syllabis constituere, sed simul in actionibus, quæ per omnem vitam intento studio perficiuntur ad præscriptum virtutis juxta Paulum: sive comeditis, sive bibitis, sive quid facitis; omnia ad gloriam DEI facite. Ergo accũbens mensæ ora, esitans panẽ largitori gratiam repende, suffulciens corporis vires vino, fac memineris ejus, qui te hoc dono impertivit: tunicam indueris? gratias agito benigno datori: amiciris pallio? fac in te augescat intentior erga DEUM charitas.* Confer reliqua in hanc sententiam plura. Hoc loco vocem תָּמִיד *semper* idem Davidi esse, quod *crebrò & frequenter*, nemo dubitabit, qui vitæ ejus actiones & labores officii expendet: nam hisce etiam pars temporis non minima danda fuit. Ut ita sensus sit: quando *vesperi, mâne & meridie* (Psal. 55, 18.) *ad te clamo*, peccatum meum menti meæ obversatur, *quando media nocte surgo ad confitendum tibi* (Psal. 119, 62.) peccatum primas occupat cogitationes: quin etiam non rarò ipsis officii laboribus se immiscet atque ingerit, adeoque rarò me quiescere & respirare finit. *Eximia pietas circa grandem impietatem!* magna virtus circa grave scelus! qua & misericordiæ divinæ agnitio ac memoria constanter custoditur, & mens contra carnalem securitatem præmunitur. Quæ secum ponderans Chrysost. homil. 2. in Psal. 50. (51.) pag. 742. exclamat: ὢ εὐγένεια ψυχῆς; *ô generosa anima, ô mentis integritas! non est oblitus peccati sui & iniquitatis, quamvis remissa fuerit, ille tamen in conscientia sua, quanquam in imagine, adulterium & homicidium depictum habuit. Considerat DEI reipsa ad se factum verbum: Ego sum, qui deleo iniquitates tuas, tu verô memor eorum esto, idq; ideo, ut gratior sit misericordia mea, ut sentias, quid tibi remiserim &c.*

19. Habemus, uti arbitramur, germanum verborum Da- Locus de
vidis, Contritio-

D

ne pœnitentiali, ubi

vidis, in quibus, præter alia plura, doctrina *de priore pœnitentiæ membro scilicet Contritione* sedem suam habet, sensum : cui nunc ipsius articuli methodicam delineationem subnectimus, ubi quod innuimus, nonnulla *de quibusdam pœnitentiæ distinctionibus*, præcipuè *partium ejus*, tum olim, tum hodie institutis enumerationib⁹ præmiserimus sed breviter ac paucis. Nã vel omnes huc producere, quæ unquam traditæ sunt, vel in producendis singulis diutius subsistere, easdemque in accuratius vocare examen, pauciores paginæ, quibus hæc exercitatio includenda est, non permittunt.

1. Præmittitur breviter consideratio nõ nullarum pœnitentiæ Distinctiorum.

20. Distinctiones variæ sunt, quas variæ Scholasticorum in Papatu disputationes olim cumularunt, apud quos *alia pœnitentia est desperativa, alia salutifera*, item *alia interior habitus, alia pœnitendi exterior actus*: rursus, *alia virtus, alia sacramentum*: porrò, *alia secreta, alia publica, alia solennis* vide Lexic. Theolog. Altenstaigii à Johanne Tytz auctum. pag. 697. & seqq. Berchorius in suo repertorio distinguit pœnitentiam *in simulatam, quæ sit deceptoria, deceptorum, desperatam, quæ sit frustratoria perversorum, condemnatam, quæ sit afflictoria damnatorum, & comprobatam, quæ sit meritoria conversorum.* Vide tom. 3. pag. 830. de quibus plerisque omnibus quid sentiendum, facilè quivis, qui vel à primo limine Theologiam salutavit, intelligit, quod nimirum quædam species suum in scriptura sacra & exemplis fundamẽtum habeant, aliæ ex falsis hypothesibus natæ & confictæ sint. Fuerunt, qui pœnitentiam *in legalem & Evangelicam* distinguerent, & *legalem* dicerent, quæ in solo conscientiæ ex legis fulmine & maledictione orto terrore, sine spe gratiæ & remissionis peccatorum subsistat. *Evangelicam* verò, qua homo peccator seriò quidem de peccatis suis doleat, sed tamen simul in promissiones Evangelicas de gratuita omnium peccatorum propter Christi meritum & satisfactionem condonatione respiciat. At hi non animadverterunt, licet forte aliqua sit pœnitentia, quæ merè legalis dici queat, nullam tamen unquam repertam, quæ merè Evangelica vocari potuerit, siquidem ad salutarem pœnitentiam Lex & Evangelium concurrunt, ac singula suas partes conferunt. Distingui etiam solet pœnitentia in *Ethnicam*, per quam gentiles extra

extra Ecclesiam, ex solo rationis lumine, interdum graviora scelera, quæ commiserunt, oderunt, detestantur, mallent, non commissa, tristitia afficiuntur, & *Christianam*, quam fideles in Ecclesia exercent, qui in Christi nomen credunt & baptizati sunt. Quæ distinctio re & opera eadem est cum illis, quæ pœnitentiam faciunt, aliam *rudem*, aliam *formatam*, aliam *servilem*, aliam *filialem*, aliam *mutilam* & *imperfectam*, aliam *integram* & *perfectam*. Notum etiam est discrimen inter pœnitentiam *ingredientium*, sive eorū, qui per baptismum in Ecclesiæ sinum recipiuntur, & *stantium*, qui quotidiè piis pœnitentiæ exercitiis vacant, adeoque omnem in iis vitam, ceu decet, consumunt, & *lapsorum*, qui ex gravioribus peccatis, in quæ post baptismum prolapsi sunt, divina gratia resurgunt. Confer de hisce D. Gerhard. LL. CC. de pœnit. §. 33. & seq. D. Eckard, tractat de pœnit. cap. 3. pag. 45. & seqq. dispp. Lipsienses à DD. Schiltero & Harbardo habitas pag. 628. & seqq. Wigand. & Ind. Syntagm. Vet. Testam. pag. 1123. & seq. Nov. Test. pag. 836.

21. *Partitionum sive divisionum* pœnitentiæ famosissima sub Papatu est *in tres partes scilicet in contritionem, confessionem oris, & satisfactionem operis*, in qua quidem divisione Bellarminus lib. 1. de pœnit cap. 19. propos. 5. ait, *omnes Catholicos convenire*, idque *ex divinis literis, testimoniis veterum & rationis congruentia* confirmare nititur. Sed contrarium abundè D. Gerhardus demonstravit, quem vide confess. cathol. lib. 2. part. 3. articul. 16. cap. 2. pag. 18. & seqq. Nulla harum partium in scriptura sacra fundamentum habet. Nam licet ea à pœnitentibus requirat *contritionem*: talem tamen, qualem Pontificii tradunt (quæ sit *actus liber voluntariè assumptus cū proposito confitendi & satisfaciendi*, in qua singula *peccata longo tempore & amarissimè deflenda sint, ut non solùm appretiativè, sed etiam intensivè & extensivè summa dici possit*: cujus *tanta sit vis, ut quis omnium peccatorum veniam statim consequatur*) prorsus ignorat, tantum abest, ut exigat. Sic *confessio* quidem in pœnitentiæ exercitio necessaria est & divinitus mandata: verùm rursus *non illa, quam Pontificij* pœnitentibus imponunt, ubi *sacerdoti omnia peccata mortalia, quorum quis, post diligentem discußionem, conscienti-*

Partitionū sive divisionum in 1. Contritionem cordis, confessionem oris & satisfactionē operis.

am habet, recensere cogitur, etiamsi occultißima sint, neq; tantùm peccata, sed etiam eorum circumstantias, quis, quid, ubi, quare, quoties, cur, quomodo, quando &c. At *satisfactio*, quæ est *redditio æquivalentis, seu opus, qua offensæ justitiæ DEI redditur æquale*, non tantùm nuspiam in scripruris invenitur, sed è diametro cum ea pugnat: est in Christi salvatoris meritum blasphema, evertit promissiones Evangelicas de gratuita peccatorum propter Christum remissione, tribuit homini, quod in vires ejus nunquam cadere potest &c. Confer de hac pœnitentiæ partitione Chemnit. Concil. Trident. exam. pag. 378. Gerhard. de pœnit. §. 57. de stud. pietat. disp. 1. §. 39. Hutter. LL. CC. pag. 761.

2. Mortificationem & vivificationem.

21. *Calvinianorum* permulti suum secuti *Magistrum* dividunt pœnitentiam *in mortificationem & vivificationem*. Calvinus lib. 3. instit. cap. 3. sect. 5. pag. 204. fac. alt. *meo*, inquit, *judicio non malè pœnitentia sic definiri poterit, esse veram vitæ nostræ ad Deum conversionem à sincero serioq; DEI timore profectam, quæ carnis nostræ veterisq; hominis mortificatione & Spiritus vivificatione constat.* Huic non tantùm subscribit per omnia, sed etiam, quantum in se, fert patrocinium Beza in absters. calumniar. Tilemanni Heshus. tom. 1. oper. pag. 307. seqq. nec minus Polanus syntagm. lib. 6. pag. 469. Sibrand. Lubbert. contra Socin. pag. 350. Bucanus LL. CC. de pœnit. q. 14. p. 297. Sed *mortificatio & vivificatio*, proprie sumta, sunt pœnitentià posteriora & fidei fructus. Est enim mortificatio actio hominis regenerati & justificati, quà virtute Spiritus Sancti frenat, domat, compescit, reprimit & coërcet pravos veteris hominis seu nativæ corruptionis motus & affectus, ne in aliquam turpitudinem erumpant. Confer Rom. 8, 13. inprimis Galat. 5, 24. ubi Apostolus, *qui sunt*, ait, *Christi*, qui per pœnitentiam ad Christum perducti, fideque ipsi uniti adeoque justificati, *illi crucifigunt carnem cum concupiscentiis suis.* Ex quibus verbis clarissimè patet crucifixionem, adeoque mortificationem esse pœnitentia posteriorem. Sic vivificatio huic mortificationi opposita est actio hominis itidem renati & justificati, qua Spiritus Sancti gratià, mortificato vetere homine, novam vitam ingreditur, in eàque ambulat Rom. 6, 4. id est, actiones & studia ita moderatur, ut sint utrique legis divinæ tabulæ confor-

mia,

mia, ad honoré & cultum DEI ac proximi emolumentum dirigantur. Confer Ephes. 4, 23. & 24. Coloss. 3, 10. Quia itaque mortificatio & vivificatio sunt actiones & opera eorum, qui jam per pœnitentiam DEO sunt reconciliati ac justificati, adeoque pœnitentia posteriora, partes ejusdem commodè dici nequeunt. Unde etiam Benedictus Aretius part. 1. problemat. loco 37. quo totam de pœnitentia doctrinam compendiosè tradit pag. 453. meminit quidem hujus divisionis, sed eam non recipit, verùm alias ponit partes, pœnitentiæ integrales, scilicet *cordis seriam mutationem, emendandi propositum & spem veniæ*. vide etiam Sohn. tom. 1. pag. 185. Notandum tamen ex *nostratibus etiam esse*, qui in hasce duas partes, nempe *mortificationem & vivificationem* pœnitentiam dividant. Wigandus & Iudex Syntagm. Vet. Test. pag. 1123. ad quæstioné, *quæ sint partes pænitentiæ?* hisce verbis respondet: *Partes sacræ literæ duas enumerant, mortificationem & vivificationem*. vide etiam pap. 1166. Sed alio planè sensu, quam Calvinus, hæc nomina usurpant, ut ex ipso verborum contextu liquet. Est iis *mortificatio* nihil aliud, quàm ipsa contritio & serius cordis conscientiæque dolor ex legis concione operante Spiritu sancto excitatus: *Vivificatio* nihil aliud, quàm certa fiducia de gratuita remissione peccatorum per & propter Christum ejusque meritum consequenda.

23. Recepta etiam est superioribus temporibus à nonnullis *divisio pœnitentiæ: in contritionem, fidem, & novam obedientiam.* Confer Phil. Melanchth. exam. Ordinandor. loc. de pœniten. quæst. 2. & Chytr. Catech. itidem loc. de pœnit. q. 2. pag. 156. & seq. Verùm *bono consilio* illi ἀκρίβειαν non attenderunt, sed latius vocabulo pœnitentiæ usi, eos, quibus ministerium docendi per solennis ordinationis ritum committitur, monere voluerunt, ut in articuli hujus publica è suggestu explicatione, quando de essentialibus pœnitentiæ partibus verba faciunt, perpetuo subjiciant graves ad novam obedientiam & bonorum operum studium exhortationes, atque ita tum securitati, quæ animos auditorum facilè occupat, obviam eant, tum adversariorum calumnias, quibus bonorum operum studium parùm aut nihil à Lutheranis curari clamitant, reprimant. Un-

3. Contritionem, fidem & novam obedientiam.

de Phil. Melanchth. posteaquam loc. cit. tres pœnitentiæ partes enumeravit, statim subnectit: *hanc partitionem docendi causa bono consilio sic tradidimus, & petimus eam sine calumniis intelligi.* Interim si, uti decet & fidei analogia postulat, quæ in se reipsa distincta sũt, accuratè distinguam⁹, novæ obedientiæ inter essẽtiales aut integrãtes pœnitentiæ partes loc⁹ dari non potest. Ad fructus enim ejus expressis scripturæ Testimoniis bona opera, in quibus exercitia sua habet nova obedientia, referuntur. Matth. 3, 8. Luc. 3, 8. Gal. 5. 22. adeoque sunt pœnitentiâ posteriora. Et si in rem præsentem eamus atque exempla eorum, qui seriam egisse pœnitentiam in sacris literis leguntur, inspiciamus, passim hunc, de quo loquimur, ordinem deprehendimus. Dolet David de peccatis suis, misericordiam DEI implorat, eâdemque se solatur & erigit: pòst addit Psal. 51. 15, *Docebo iniquos vias tuas, ut impii ad te convertantur.* Confer descriptionem pœnitentiæ Israëlitarum Judic. 10, 15. seqq Manassis 2. Chron. 33. 18. & seqq. Ninivitarum Jon. 3, 5. & seqq. Petri, Pauli &c. Quia etiam pœnitentia medium est consequendæ remessionis peccatorum Act. 3, 18. sequeretur, si nova obedientia & bonorum operum studium pars pœnitentiæ esset, in eodem spem impetrandæ gratiæ divinæ rectè collocari. Ex quibus satis elucescit novam obedientiam, licèt arctissimè veræ pœnitentiæ adhæreat, partem tertiam aut de essentia ejus non esse: quin & illud evidenter conspicitur, non esse, ut Pezelius arbitratur, inanem λογομαχίαν, si contra dissentientes disputetur: Confer plura apud D. Gerhard, LL. CC. §. 44. D. Eckard. de pœnit. pag 58. D. Menz. exeg. Aug. Confess. pag. 545. & seq. Hutt. LL. CC. pag. 760. Brochmand. system. tom. 2 pag. 382. & seqq.

4. Contritionem & fidem, quæ sola genuina est & retinenda.

24. Stat immota solidis nixa fundamentis *partitio in Contritionem & fidem.* Hasce enim & non plures Scriptura Sacra, & in ea Christus & Apostoli numerant. Marc. 3, 15. *pœnitentiam agite, (pœnitentia* per Synecdochen hîc ut & alibi, quando à fide distinguitur, ipsa est contritio) *& credite Evangelio.* Luc. 24, 47. *Oportuit prædicari in nomine Christi pœnitentiam & remissionem peccatorum.* confer Act. 2, 38. Accedit conversionis seu pœnitentiæ natura, quæ inter *duos* versatur *terminos, à quo &*

ad

ad quem; *ille sunt peccata*, à quibus dolore, tristitia & ôdio abitur: hîc DEUS, ad quem, spe consequendæ veniæ reditur, Act. 26.18. *Convertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ ad DEUM.* Neque etiam *partitio totius doctrinæ Christianæ* alias, quàm has ipsas partes admittit. Constat ea, uti notum, *Lege & Evangelio*, quibus Spiritus sanctus ad pœnitentiam tum annunciandam, tum operandam ingenerandamque utitur. *Lex* hominum corda, ipsorum vitio, terret, prosternit, conterit. *Evangelium* solatur, erigit, sanat. Sin etiam exempla verè pœnitentium in medium producamus, omnia uno quasi ore hanc partitionem confirmant & illustrant. Adam & Eva ex eo statim momento, quo legem divinam sunt transgressi, metuunt, trepidant, fugiunt, nec eriguntur prius, quàm ex ore DEI Evangelium de semine mulieris audiant: confer pœnitentiam Davidis, Manassis, mulieris peccatricis, & inprimis jucundissimam, ac nullis unquam meditationibus exhaustam parabolam de acolasto & patre ipsius Luc 15,11. & seqq. ubi in theatrum producitur filius *primùm* ex agnitione peccatorum suorum trepidans, expavescens, inde exclamans: *peccavi in cœlum & non sum dignus &c.* sed mox paterni affectus & pectoris tremor meliorem spem animo concipiens & dicens: *surgam & ibo ad patrem meum*: qua parabola quid clarius non significari tantùm, sed & vivis depingi coloribus posset, quàm quod omnis salutaris pœnitentia *Contritione* ob peccata, & *fiducia* consequendæ gratiæ constet & absolvatur?

25. Hanc itaque partitionem ex adductis rationibus cum omnibus orthodoxis retinentes primæ partis scil. *Contritionis* commentationi nos accingimus, quod *nomen* non, ut nonnulla alia, in certis fidei articulis, ab Ecclesia cōmodioris explicationis ergò traditum, sed in ipsis literis sacris expressè significatu huic doctrinæ proprio scriptum (in concreto tamen, in abstracto, vel raro, vel nuspiam) reperitur. *Conterere* vox composita quid latinis alias grammatica proprietate sit, notum est, nempe idem quod comminuere & in pulverem redigere, quo sensu extat Exod. 32. 20. ubi Moses vitulum idololatricum ab Aarone conflatum *usq; ad pulverem contrivisse* dicitur. confer Deut. 9, 21. cap. 23, 25. *manu spicas conteres*, inde *contritio* (vox Ecclesi-

2. In ipsa tractatione consideratur nominis Etymologia & homonimia.

asticis

asticis, non æquè profanis ſcriptoribus uſitata) ipſe eſt conterendi actus ſive comminutio. *Metaphoricum ſenſum* huic aliisq; locis, quibus pœnitentiæ natura, affectiones & operationes deſcribuntur, *proprium eſſe* apud omnes conſtat, deſumptum à lignorum vel lapidum, vel metallorum, vel oſſium violenta in minutiſſimas partes confractione. Confer Exod. 9, 10. 12, 46. 23, 24. Deut. 12, 3. Jud. 7, 20. Quemadmodum enim fulmine arbor aliqua aut columna, malleo lapis & ſaxum, ſceptro ferreo vas figuli confringuntur, conteruntur, comminuuntur: ſic ſenſu peccati & dolore inde concepto, cor hominis graviſſimè afficitur, perturbatur, adeoque quodammodo conteritur & comminuitur: confer Flac. Clav. part. 1. pag. 174. *Affinis eſt* iſte vocabuli uſus tropicus *alteri*, quo ad acerbiſſimarum calamitatum immiſſionem & inflictionem pœnarum crebrò in ſcripturis adhibetur. Jeſ. 10, 20. *contrivit Dominus plaga magna Reges Amorrhæorum* Job. 9, 17. *in turbine conteret me & multiplicabit vulnera mea:* confer cap. 16, 12. & Eſa. 1, 28. vide Flac. cit. loc. & Ravanell. bibliothec. ſacr. part. 1. pag. 163. Eodem modo *vox hebræa* שבר uſurpatur, nempe ut *propriè* ſignificet confringere & comminuere Geneſ. 19, 9, Levit. 11. 33. Num. 9, 11. & paſſim alibi; deinde per *metaphoram* dolere animo ex peccatorum & iræ divinæ gravitatis conſideratione Pſalm. 34. 19. & 51, 19. itemque duriſſimè affligi, variisque flagellari, calamitatibus, iisque penitus conſumi Pſ. 10. 15. & 37, 17. Prov. 6, 15. Eſa. 8, 15. Habet tamen & alias ſignificationes, quas vide apud Lexicographos, inprimis Schindlerum & Pagninum. Nominis שבר amplior etiam eſt ſignificatio, quippe quo non tantum fractura, comminutio, dolor, calamitas, ſed & *rerum obſcuriorum explicatio* Judic. 7, 15. notatur, itemque *frumentum*, *annona, cibus, alimentum* Gen. 42, 1. cap. 43, 3. Deut. 2, 6. Amos. 8, 6. ideo ſic dicta, quod famem frangant & conterant confer. Pſal. 104, 11. *Græci* plerumque Hebræa reddiderunt per συντείβειν, σύντειμμα, συντειβή, σύντειψις, ut ex locorum collatione patet: quæ vocabula quidem propriè notant rerum diverſarum colliſionem, inprimis earum, quibus ignis elicitur. Vide Henric. Steph. tom. 3. column. 1345. ſed tamen ejusdem quoque uſus ſunt, cujus Latina &

tina & Hebræa. De dolore & animi tristitia, quando usurpatur verbum συντρίβεσθαι non leviorem tantùm, sed acerbum affectum notat, adeoque plus est, quâm λυπεῖσθαι. Confer Henr. Steph. loc. cit. idem de derivatis judicandum, confer. Rom. 3, 16. σύντριμμα καὶ ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν.

26. *Appellationes Contritionis*, quibus ejus natura compen- Synonymia.
diosè exprimitur, in sacris literis sunt variæ. *Percußio cordis vocatur* 2. Sam. 24, 10. quam sensit David, posteaquam mandatum de numerando populo edidit, quæque aliud nihil fuit, quàm morsus quidam & latratus conscientiæ, quæ, lege DEI mota, ipsum peccati commissi monuit, accusavit, iram DEI & pœnas promeritas denunciavit: quæ secretior concio acerbissimum quodammodo flagellum Davidi extitit. Idem David in Psalmis suis præcipuè pœnitentialibus ex ipsa contritionis suæ praxi diversa ejus nomina profert: *conturbationem oßium* vocat Ps. 6, 3. ubi veterũ haut pauci *per ossa* præcipuè *animæ vires* quippe quæ ex intuitu peccati omnium maximè afficiuntur, designari volunt, ad cujus rei confirmationem loca alia, quib⁹ laudum divinarũ celebratio, aliaq; opera & affectus ossibus tribuuntur, adducunt. Psalm. 35, 10. *Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi?* Psalm. 51, 10. *exultabunt Domino ossa humiliata* confer Psal. 38, 4. Esa. 38, 13. Sed rectius *de toto homine*, ejusq; tum animæ, tum corporis viribus, quippe quæ omnes iræ divinæ sensu & metu pœnarum conturbari solent, accipiuntur: quo sensu etiam de ossibus suis dicit Eliphaz. Job. 4, 14. *pavor tenuit me & tremor & omnia ossa mea perterrita sunt*, & ipsemet Job. cap. 7, 15. *ossa mea elegerunt mortem*. Ergo *conturbatio oßium* est summus hominis pœnitentis ê peccatorum gravitate natus dolor & terror, quo omnes ejus vires concutiuntur, adeo ut ne ossa quidem, quæ aliàs sensus & doloris sunt expertia, ab eo libera sint. Confer Chrysost. in Psal. 6. tom. 1. pag. 549. ubi ad verba *ossa mea conturbata sunt*, ait: τὰ ὀστᾶ τὴν ἰσχὺν ἅπασαν λέγει. *Infixionem sagittarum* dicit Psal. 38, 5. *sagittarum non divini amoris & virtutum*, quæ, quod mirum, Chrysostomi explicatio est, qui ad verba *sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*. tom. 5. pag. 960. sub finem ita scribit: τὰ βέλη, ποῖα; βέλος εὐσεβείας, βέλος δικαιοσύνης, βέλος πόθου πρὸς τὸν θεὸν, βέλος ζήλου ἀρετῆς, τούτοις τοῖς

θείοις βέλεσιν ἡ ψυχὴ τετρώσκεται &c. ſed ſagittarum ſummi & exquiſitiſſimi doloris. Evolarunt enim è manu & ore DEI in Davidē *ſagittæ legū pectora transfodientes*, ut alius Græcorum Patrum loquitur *λόγοι νύττοντες, καὶ τιτρώσκοντες τὴν ψυχὴν καὶ τὴν συνείδησιν αὐτὴν τιμωρούμενοι καὶ κολάζοντες*: Harum ſagittarum immiſſione cor Davidis profundiſſimè ſauciatum eſt, longe gravius, quàm ſi corporis aliquod membrum ſagitta aut telo vulneretur. Similia his ſunt, quod Propheta David *contritionem* nominat Pſal. 25, 17. *multiplicationem anguſtiarum cordis* Pſal. 51, 19. *tribulationem Spiritus* &c. Jer. 31, 19. Eccleſia interiorem contritionem & dolorem animi expreſſura, *femur ſeſe percutere* ait, externo ſigno ſecretum cordis affectum & angorem exprimens. Acerbiſſimi enim doloris index olim femorum percuſſio erat, non tantùm fœminarum parturientium Jerem. 30, 6. ſed etiam virorum, qui vehementer ſoliciti fuerunt, aut ob triſte aliquod nuncium graviter doluerunt: confer Zehner. adagior. centur. 4. adag. 59. Joël Propheta habet *ſciſſionem cordis* cap. 2, 13. oſtendens ſeriam contritionem cum graviſſimo dolore conjunctam eſſe, ita ut interiora viſcera ac cor præcipuè penè inde dilacerentur aut liqueſcant. In Actis Apoſtolicis quando Judæi grande ſcelus in Chriſti crucifixione patratum agnoviſſe leguntur, *corde* dicuntur *compuncti*: *κατανενυγμένοι τῇ καρδίᾳ*. Contritio itaque eſt quædam *κατάνυξις τῆς καρδίας*, non autem eo ſenſu, quo Heſychius accepit, ut æquipolleat *τῇ ἡσυχίᾳ* quieti: qua ſignificatione etiam Septuaginta interpretes uſi ſunt, quibus *κατάνυξις* *compunctio* eſt ſopor, ſtupor ac veluti carentia ſenſuum omnisque intelligentiæ. Confer Eſa. 29, 10. Pſal. 60, 5. ſed ut exprimatur acerrimus cruciatus, quo animus quodammodo lancinetur & pungatur, quemadmodum urticarum aculeis corpus compungitur. Oecum. enarrat. in act. Apoſtol. cap. 3. pag. 22. inquit: *πέτρος εἰς κατάνυξιν αὐτοὺς ἤγαγε. Τὸ δὲ κατενύγησαν ἀντὶ τοῦ ἐπλήγησαν, ἔπαθον τὴν ψυχὴν ἑαυτῶν κατέγνωσαν*: percuſſi ſunt, ſenſerunt animam, quæ ipſos condemnabat. Plures Contritionis appellationes habent Wigandus & Judex in Syntagm. doctrin. ex Vet. Teſt. adornato, loc. de Contrit. pag. 1146. & ſeq.

27. *Eſſe Contritionem pœnitentialem* cum per ſe manifeſtum

nec

nec facilè ſit, qui abſolutè & ſimpliciter neget, in quæſtione ἣ ἐςι pertractanda multum laborare velle, ſupervacuum foret. *De cauſa ejus efficiente principali* ſi quæratur, reſponſio quoque ex præc. diſp. §. 30. & ſeqq. penè ſufficiens peti poteſt. Ibi enim immotis ſacrarum literarum fundamentus evictum eſt, *Totius pœnitentiæ adeoq́; & ſingularium ejus partium cauſam efficientem eſſe Deum Triunum, eumq́; ſolum ſine hominis cooperatione. De Contritione in ſpecie adducta verba Iehovæ* Ezech. 6, 9. *contrivi cor eorum fornicans & recedens à me, & oculos eorum fornicantes & recedentes poſt idola ſua, & diſplicebunt ſibimet ſuper malis, quæ fecerunt in univerſis abominationibus ſuis*, quibus quod DEO contritionis opus in ſolidum tribuatur, & hinc ab ipſo petendum ſit, ipſos etiam Jeſuitas, Sanctium & Cornel. à Lapide docere oſtendimus. Eodem ſpectat certa ratione ſevera comminatio DEI Pſal. 50, 21. *arguam te & ſtatuam* (peccata tibi tua) *contra faciem tuam*. Quæ ad ultimi judicii adminiſtrationem non incommodè quidem, rectè tamen etiam ad ſecretum judicium applicatur, quod DEus intra pectus & conſcientiam peccatorum hâc in vita exercet, quando eos ſecuritate quodammodo ſopitos & ebrios, nec ullo pacto de peccatis ſuis ſolicitos, interiori metu excitat, commiſſa ab ipſis peccata longâ ſerie è tenebris producit, ac, quæ Hebræi vocabuli vis eſt, veluti turmas quasdam aut exercitum ordinatum mentis contemplanda oculis ſiſtit, unde incredibilis horror & triſtitia oritur. Gregorius Magn. in explanat. ſeptem pſalmorum pœnitent. tom. 2. p. 573. Optimam horum verborum habet paraphraſin, quam adſcribere juvat: *Tu*, inquit Iehova ad impium, *peccata tua poſt tergum projicis, ne poſſis videre. Ego autem, qui illa video, quid faciam? nunquid ſemper tacebo? imò arguam te & ſtatuam contra faciem tuam: à peccatis tuis tu avertis oculos tuos, & quandam tibi vanæ ſpei ſecuritatem promittis, & quia ipſe te non vides, quod nec ego te videam ſuſpicaris: putas, quod te non videam fornicantem, quem video adulterium cogitantem? Ex hoc itaq́; te arguam & ſtatuam contra faciem tuam: tu non vis attendere faciem tuam, ego itaque faciam, ut agnoſcas &c.* Quod DEI opus nihil aliud eſt, quàm ipſa contritio activa, qua animus peccatoris percellitur, ad quam cohorreſcit. Quemadmodum enim *peccatorum*

Cauſa efficiens principalis Cōtritionis.

Deus triunus & Solus quidē.

catorum post tergum abjectio Esa. 38, 17. *projectio in profundum maris* Mich. 7, 19. exoptata est hominis peccata sua agnoscentis & de iisdem dolentis consolatio: sic eorundem productio & ante oculos securi peccatoris collocatio, severa est percussio & contritio, utraque à DEO profecta, unde David Ps. 38, 5. *sagittarum infixionem*, quæ ipsa contritio est, uni DEO tribuit, sive dolores ex peccatorum agnitione ortos divinitus sibi immissos fatetur. Hiskias etiam *ossa sua* à DEO *contrita* esse agnoscit. Esa. 38, 13. Est *Spiritus sanctus, qui mundum arguit de peccato.* Joh. 16, 8. qui inprimis originalis peccati, ex quo actualia peccata nascuntur, fœditatem, gravitatem, atrocitatem, quam nemo hominum naturà agnoscit, in lucem profert, ob oculos ponit, ut, qui ritè eam intuentur, non possint non totis animis contremiscere. DEUS itaque & solus quidem contritionis pœnitentialis causa est, sine cujus operatione & lumine nemo unquam ad veram peccatorum agnitionem, minus ad eorundem odium & detestationem perveniret.

Causa organica lex est toto suo complexu.

28. *Causa organica sive instrumentalis*, per quam DEUS hominum pectora conterit, *lex est.* Inde enim *peccati est agnitio* Rom. 3, 20. hæc *iram operatur* cap. 4, 15. absque hac *peccatum est mortuum* cap. 7, 8. Legem autem dum dicimus, simul *omnia, quæ quocunq; modo legis officio funguntur*, complectimur, adeoque huc etiam pertinent varia in sacra & profana historia, quin & ipsa experientia severissimæ iræ divinæ & gravissimorum suppliciorum pœnarumque exempla, itemque inusitata in cœlo, astris, aere, aquis prodigia, visu audituque horrenda, quæ interdum impendentium maximarum calamitatum sunt prænuncia. Inprimis etiam huc pertinet seria passionis Christi per omnes partes meditatio: tametsi enim eius consideratio præcipuè sit Evangelica, in eàque fons omnis consolationis situs sit, unde immensam DEI Patris erga nos homines misericordiam & ardentissimum Filii amorem cognoscere licet, unde efficacissima, ad vincendas peccati, satanæ, mortis, inferni, tentationes, & invicta arma petuntur: simul tamen etiam lucidissimum exhibet speculum, in quo iræ divinæ furor & peccati atrocitas contemplanda proponuntur. Confer Gerhard. LL. CC. de pœnit. §. 70. & seqq. Hutter. LL. CC. p. 757.

Wigand.

Wigand. Syntagm. Vet. Test. p. 1148. & Nov. Test. p, 234. & 842. Eckard. dilucid. controvers. de pœnit. c. 4. p. 89. & seq. Non itaq, *Contritio maximè & propriè ad Evangeliũ pertinet, quæ tertia Propositio* est Bellarmini lib. 2. de pœnit. cap. 2. pag. 410. & seq. quam adstruere conatur, sed impertinentissimè ex Ezech. 11, 19. & 36, 16. *Ubi DEUS pollicetur Spiritum novum, & cor carneum, ex Christi ipsius & Apostolorum prædicatione pœnitentiæ, à legis veteris & novæ natura & discrimine &c.* Dictum modo est, ex lege esse, & sola quidem, agnitionem peccati, quæ cum aut ipsa sit contritio, aut magna ejus pars, necesse est, ut eò etiam ipsamet referatur. Et notissimum est, in eò præcipuè versari discrimen inter Legem & Evangelium, quod hoc vivificet, erigat, consoletur, à quibus functionibus alienissimum est omne id, quod propriè contritioni competit; illa verò occidat, terreat conscientiam, infigat sagittas, percutiat corda &c. quæ omnia in contritione cũ concurrant, satis abundè, quod legem causam habeant, testantur; plura de hoc argumenta habent Gerhard. LL. CC. de pœnit. §. 77. p. 805. & seqq. Eckard. dilucid. de pœnit. cap. 4. q. 2. pag. 99. & seqq. ubi etiam Bellarminianæ opinionis fundamenta omnia ordine evertuntur: adde & Hunn. tom. 1. oper. tractat. de Sacramentis Veter. & Nov. Test. pag. 1104. & seq. VVigand. in refutat. SchvVenckfeldissimi, inter quem & Papismum hac parte consensus est. pag. 261. Nequaquã verò Evangelium.

29. *Materia ex qua contritionis κατ᾽ ἀναλογίαν* dici possunt *omnes illi, sive actus, sive παθήματα*, quæ in eadem concurrunt qualia sunt (1.) *vera peccatorum agnitio*, ita ut ab originali initium fiat, ejusque atrocitas probè investigetur: tametsi enim horrendam ejus turpitudinem nemo hominum intelligere satis possit, ejusque plena cognitio solius sit DEI, qui *occultum nostrum ponit in illuminatione vultus sui.* Psal. 90. 8. Decet tamen quemvis pœnitentem quàm diligentissimè anniti, ut, prælucente verbo DEI, nihil omittat, quo ad im̃anis fœditatis ejus agnitionem provehi queat, quippe qua sine vera pœnitentia exerceri non potest, confer exemplum Davidis Psal. 51, 7. (2.) *Iræ divinæ sensus*, qui ad præcedentem agnitionem ultrò sequitur: qui enim ineffabilem pecatorum originalis & actualium Materia ex qua κατ᾽ ἀναλογίαν actus & παθήματα quæ in cõtritione concurrũt.

 atroci-

atrocitatem secum ponderat, & vicissim *puritatem & mundiciem oculorum DEI, per quem malum videre & ferre non potest*, Habacuc. 1, 13. considerat, facilè percipit, quantopere ira ejus ex peccatis accendatur. (3.) *Conscientiæ acerbißimi cruciatus*, quos iræ divinæ sensus parit. Quicunque enim se & natura peccato miserrimè corruptum, & quotidiè peccata peccatis cumulare, & inde consumentem DEI iram adversus se concitare, intra se sentit, non potest non intimè cohorrescere, trepidare, angi, expavescere. Unde mox nascitur 4. *vera humilitatio*, qua homo peccator, qui iram divinam & pœnas temporales atque æternas meruit, se ad pedes & tribunal DEI abjicit, seque judicat indignum, qui erecto vultu aut sublatis sursum oculis in conspectum DEI progrediatur. Cum isthac humiliatione conjuncta est 5. *peccati ingenua confeßio*, ut licet peccator non nesciat, omnia peccata sua jam antè DEO esse manifestissima, & longè quidem, quam ipsimet peccatori, manifestiora, siquidem DEus etiam profunda pectorum scrutetur, & occultas cogitationes ac desideria cum lege pugnantia exactissime omnia sciat, nihilominus tamen, quia sic divinus exigit ordo & spes remissionis, cor suum ingenuè effundat, & peccata corde agnita ore quoque confiteatur, & quidem 6. *cum extrema detestatione ac odio*, quod animo sincero conceptum, sincerè quoque in auribus DEI exprimat, seque tantopere jam peccata aversari atque execrari, quantopere pridem illis fuerit delectatus, significet. Hæc sunt, quæ contritio pœnitentialis complectitur, ut ex eorum exemplis, quos verè contritos olim fuisse scriptura testis est, liquet: & hinc suo modo contritionis materia dici possunt.

Forma, quæ consistit non in Actione liberè assuta.

30. *Forma in ipsa secretiori cordis compunctione*, quæ ex peccatorum agnitione & metu iræ divinæ pœnarumque nascitur, consistit. Rectè VVigand syntagm. Vet. Test. pag. 1154. ad quæstionem: *quæ forma contritionis? formam*, inquit *Contritionis esse indicant Prophetæ, veram agnitionem, pavorem & terrores conscientiæ, sensum iræ DEI & pœnarum ob admissa peccata* &c. Confer syntagm. Nov. Test. pag. 233. & 841. *Paßio itaq; formaliter* est hominis peccatoris pœnitentialis *contritio & nequaquam actio*, quod tamen Pontificii plerique omnes mordicus defendere nituntur

tuntur. Nota sunt Bellarmini verba lib. 2. de pœnit. c. 2. *Contritio non est passio, sed actio, eaq; libera non coacta.* Et ante Bellarmin. definitiones, quibus Scholastici contritionem explicarunt: *Contritio est detestatio seu displicentia peccatorum á se commissorum liberè elicita á voluntate ad placandum divinam offensam*: item *Contritio est dolor pro peccato voluntariè assumtus cum proposito confitendi & satisfaciendi*: ubi, quia objici posset si contritio dolor sit, jam non esse actionem, respondent: *licet pœnitentia interior, quæ principalius accipitur, pro contritione dicitur dolor de peccatis commissis, tamen ibi dolor non accipitur pro passione, sed pro actu: unde dupliciter dicitur dolor: uno modo dissensus voluntatis ab ipso peccato: alio modo passio resultans in dissentiente ex illo dissensu: dissensus autem iste est de essentia contritionis: passio autem est effectus illius* &c. confer Lexic. Altenstaigii auctũ à Johanne Tytz sub titulo *Contritio* pag. 200. & seq. Ergo Pontificii ferè omnes formam contritionis in actione constituunt, nec aliter possunt, quamdiu *eam meritoriam esse* docent: quia *mereri est agere, & omne quod mereri debet, oportet ut virtutis, quæ habitus electivus est, actus sit.* Confer Thomæ Aquin. Supplem. quæst. 1. artic. 2. pag. 3. ubi tamen subjicit: *quamvis contritio, quæ propriè significatur hoc nomine, non sit virtutis actus, tamen quæ metaphoricῶs hac voce significatur (quia voluntatis rectitudinem denotat) actus est virtutis.*

31. Verùm contritionem in pœnitentia non esse actionem aut actum liberum, ab orthodoxis hactenus argumentis, & numero multis, & pondere gravibus ostensum est, desumtis, *ab ipsa nominis explicatione* & germana significatione: Est omnis contritio in subjecto, quod conteritur, tam certè passio, quàm certum est, agere eum, qui conterit, ut contradictionem manifestam implicet dicere id quod conteritur, dum conteritur aut contritionem per impressionem recipit, agere. *Ab aliis nominibus*, quibus scriptura passim contritionem describit, quæ supra §. 26. allata: ut cum dicitur *percussio cordis, conturbatio ossium, sagittarum infixio, compunctio* &c. *Natura & definitio passionis. Pati est quoddam recipere*, communis est Scholasticorum vox, vide Lexic. Altenstaig. pag. 652. *Passio ergo est actionis receptio*: quod etiam speciatim de contritione verum, quippe in qua Sed passione.

in qua DEUS per legem in cor hominis operatur: hoc verò actionem ejus cum tremore & timore recipit. Plura argumenta his non addimus, quæ legere licet apud Chemnitz in exam. Concil. Trid. pag. 381. Menzer. in Exeg. Aug. Conf. pag. 562. Gerhard. LL. CC. de pœnitent. §. 76. & in Confess. Cathol. lib. 2. special. part. 3. artic. 16. cap. 3. pag. 24. seqq. Meisn. Phil. Sobr. part. 2. pag. 486 & seqq. Eckard. dilucid. de pœnit. cap. 4. q. 7. pag. 91. & seqq. VVigand. Synt. V. T. pag. 1148. N. Test. pag. 234. Unde etiam *ex ipsis Pontificiis haud pauci* rei ipsius perspicuitate convicti non possunt negare, *contritionem esse dolorem per essentiam, esse contusionem & angorem ob patrata scelera*: quorum verba vide apud D. Gerhard. in confession. Cathol. lib. & cap. cit. pag. 26. Distinguunt quidem ut §. præced. notavimus, *inter dolorem sumtum pro dissensu ac displicentia voluntatis, & pro passione resultante in partem sentientem ex illo dissensu: ac priorem dolorem esse formam, posteriorem verò effectum contritionis ajunt.* Sed falsum est postulatum, *contritionem formaliter consistere in nuda displicentia*, cum potius angor sit & pavor mentis ob peccata commissa, qui quidem includit displicentiam, sed non est ipsamet displicentia. Rursus falsum est postulatum, *aliquem dolorem esse actum*, cum id contradictionem in adjecto habeat, neq; unquam concipi animo possit, quomodo id, quod formaliter dolor est, simul per essentiam actus sit, confer D. Gerhard. loc. cit. ex quo hîc annectimus, quod non negemus, si omnia, quæ in contritione concurrunt & §. 29. præced. enumerata sunt, sigillatim consideremus, quædam actus habere rationem, qualia sunt peccati recordatio & & agnitio, iræ DEI consideratio, peccatorum detestatio: at in hisce οὐσία contritionis nequaquam consistit, sed tantum in timore vindictæ & futuri judicii, in conscientia legis aculeo vulnerata, in horrore, dolore, morsu, compunctione &c.

Quid de attritione pontificia sentiendum.

32. Non omninò sicco pede hîc prætereunda Pontificiorum *distinctio inter contritionem & attritionem*, de qua Altenstaig. loc. §. 30. cit. ex scholasticis posteaquam *contritionem* definivit *displicentiam peccatorum liberè elicitam à voluntate* hæc addit. *Displicentia peccatorum est duplex, quadam perfecta & sufficiens, ad dimissionem peccati scil. qua est de omnibus peccatis commissis*

missis & debitè circumstantionata, præsertim circumstantia finis: alia est imperfecta non sufficiens ex parte pœnitentis ad remissionem peccatorum, vel propter objectum, quia non est de omnibus peccatis, vel quia ordinatur in finem inhonestum, & tunc vocatur attritio, quasi tritio imperfecta, vel tritio in partes majores: perfecta, verò displicentia dicitur contritio, quasi tritio omnium simul in partes minutissimas, quod fit, quando est de omnibus peccatis & secundum omnes circumstantias requisitas ad peccatorum remissionem &c. Plura vide apud Becanum de sacramentis in specie cap. 35. tom. 1. pag. 848. & seqq. Dn. Chemmitius in exam. Concil. Trid. de contritione pag. 382. paucis dogmatis hujus de attritione summam comprehendit. *Docent*, inquit, *Scholastica disputationes liberum arbitrium naturalibus suis viribus ex solo dictamine legis naturæ, sine operatione Spiritus Sancti posse inchoare, concipere & assumere verum dolorem & detestationem peccatorum, hoc est attritionem, & illam esse dispositionem ad gratiam: quam dispositionem vocant facere, quod in se est, quod sit meritum congrui.* Hoc dogma de attritione meritò rejecit Lutherus & post eum omnes orthodoxi in hunc usque diem, eò quod viribus naturæ corruptæ tribuat, quod singulare DEI donum est, adeoque oppugnet ipsius Christi aphorismũ: *Mala arbor non potest bonos fructus facere*, quod hominem faciat hypocritam & magis peccatorem, quod insuper fabricet periculosissimos conscientiarum laqueos &c. de quibus omnibus videndus D. Chemmit. loc. cit. ubi singula uberius persequitur atque illustrat: confer etiam Zeæmann. ferner offenbahrung deß vncathol. Pabst. tom. 2. p. 319. & seqq. Eckard. de pœnit. cap. 4. quæst. 7. pag. 130.

33. *Fines contritionis* diversi sunt. *Gloria DEI* hic quoque locum supremum habet, quippe quo omnia, ordini divino convenientia, spectant. Confer. Psal 51, 6. Dan. 9, 7. *Alter est, ut DEO debita exhibeatur obedientia.* Paratus est DEus ex summa misericordia, propter Filii sui meritum, peccata remittere, sed certo ordine, cui etiam inclusa est peccatorũ agnitio & serius de iis dolor: nõ enim nisi in vas contritũ oleum suæ gratiæ constituit infundere, cujus non capaces sunt, quorum præfracta, dura, secura sunt pectora: quo de ipse Jehova Jerm. 3, 13. *non irascar in perpetuũ, sed tu agnosce peccata tua* &c. Joel. 2, 13. *scindite*

Finis DEI gloria.

Obedientiæ debitæ exhibitio.

F *corda*

Perfugium ad divinā misericordiam.

corda vestra, plorent sacerdotes Domini &c. *Tertius, ut agnita extrema miseria nostra, & quod ex eadem nullæ in nobis emergendi vires*, vera in Christum mediatorem fide ad solam DEI misericordiam confugiamus, eundemque unicum solatii & salutis nostræ asylum nobis constituamus, ad exemplum Davidis Psal. 51, 3. *miserere mei DEus secundum magnam misericordiam tuam & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Confer Dan. 9, 18. *Quartus, ut quanta sit promißionum Evangelicarum & beneficiorum Christi merito partorum dulcedo, reipsa experiamur.* Dulcissimus est potus homini siti exhausto, gratissimus cibus fame pene enecto, jucundissimum oleum, quo artuum dolores & cruciatus mitigantur: sic exoptatissimum contrito & ex peccatis atque ira DEI perterrefacto pectori est nuncium Evangelicum, suavissima Christi beneficia fidei oblata & ab eo percepta Psalm. 51, 10. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.* Confer Wigand. Synt. V. T. pag. 1155. & seqq. ubi addit: *sensum legis divinæ in ipsa praxi*, ut, quæ ejus sit vis, rectius intelligamus, itemque *excitationem odij adversus peccata*, ut ab iisdem abhorrere discamus.

Perceptio dulcedinis Evangelicarum promissionum &c.

Nequaquā verò remissio peccatorum & justificatio

34. Pontificii hisce finibus quos sacra scriptura & dictis & exemplis tradit, non contenti, longius progrediuntur, & ipsam *remißionem peccatorum ac justificationem* peccatoris contritionis *finem*, quantum in se, faciunt. Altenstaig. in Lexic. pag. 201. ex Scholasticorum sententia, posteaquam tres pœnitentiæ partes ab illis receptas, *contritionem cordis, confeßionem oris, satisfactionem operis enumeravit*, de contritione hæc annectit: *Principalior pars pœnitentiæ est contritio, nam per eam principalior sequitur finis pœnitentiæ scilicet peccatorum remißio : ad cordis enim contritionem sequitur remißio peccatorum etiam sine aliis, & ita sola in actu sufficit.* Et mox: *ad deletionem peccati sola criminis detestatio debitè circumstantionata sufficit* : confer etiam præcedentia & adde Bellarm. lib. 2. de pœnit. c. 12. pag. 422. ubi quæ ab antiquis Ecclesiæ Doctoribus securius atque incautius dicta sunt, scil. *per contritionem peccata deleri, ablui, purgari, eadem Deum placari eiq; satisfieri, ipsam meritum ac pretiū esse, lacrymas veniam non postulare, sed mereri* &c. cupidissimè amplectitur

ctitur & sua facit, ut evincat, *contritionem esse causam remißionis peccatorum.* At quid hoc est aliud, quam totam Evangelij doctrinam de misericordia æterni Patris, de Filii Christi merito, satisfactione ac toto redemtionis opere, de gratuita peccatorum remissione, de veræ fidei natura & operatione, adeoque simul veræ consolationis fundamenta convellere, ac afflictis conscientiis de gratiæ & salutis certitudine dubitandi materiam subministrare, imò desperationi viam sternere. Est *sola æterni Patris misericordia*, fons & origo remissionis peccatorum & justificationis nostræ Rom. 3, 24. *solus Christus* sui contritione, doloribus & passionibus suis nobis remissionem peccatorum & justificationem promeruit. Esa. 53. 5. 1. Tim. 2, 6. Est *sola fides* instrumentum, quo DEI Patris gratia & Christi beneficia ad obtinendam remissionem peccatorum & justificationem apprehenduntur. Nullus hîc contritioni, tanquam causæ, aut medio, quo DEO satisfiat, locus est. *Non lex*, ex qua contritio oritur, sed *solum Evangelium* viam consequendæ remissionis peccatorum & justitiæ monstrat. Et quemadmadum dolor licèt ingens & acerbus, qui ex inflicto corpori vulnere percipitur, nequaquam dici potest sanationis causa: sic quoque interior dolor, qui ex peccatis & mentis conscientiæq; vulneribus nascitur, spiritualis sanationis & justificationis causa non est. Habet locum suum contritio in via & ordine, qui cuivis remissionem peccatorum & justificationem quærenti tenendus est, sed non illico causa est: confer in hanc rem plura apud Hunn. tom. 1. oper. pag. 1003. D. Zeæm. in der fernern offenbahrung deß Vncatholischen Pabstthumbs. tom. 2. pag. 325. & seqq. Gerh. LL.CC. de pœnit. §. 85. Confess. Cathol. lib. 2. part. 3. artic. 16. cap. 3. pag. 27. Eckard. de pœnit. pag. 114. seqq.

35. *Effectus contritionis* varius omnium optime ex exemplis contritorum apparet: quippe ê quibus prodeunt 1. *acerbi gemitus & suspiria.* Peccatum enim cum seriò agnoscitur, cum ira divina sentitur animo, non potest non ingemiscere secum homo & assidua trahere suspiria: quo de pœnitentiales Davidis Psalmi luculenta testimonia exhibent. Psal. 6, 7. *laboravi in gemitu meo* &c: Psal. 38, 9. *rugiebam â gemitu cordis*, confer. Psal. 102, 6. & 21. & preces Hiskiæ Esa: 38, 14. *gemebam ut columba.*

Effectus Acerbi gemitus.

 2. Plora-

Ploratus & lacrymæ.

2. *Ploratus & lacryma*, quas post auditam gravem concionem pœnitentialem largiter profuderunt Iſraëlitæ, ut & locus ipſe iisdem irrigatus nomē inde ſortitus & *Bochim* dictus ſit Jud. 2. 5. & iterum David Pſal. 6, 7. *lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis ſtratum meum rigabo.* Confer hiſtoriam *mulieris peccatricis*, quæ Chriſti pedes lacrymis ſuis rigavit, Luc. 7, 38. *Petri*, qui ex trina Chriſti magiſtri ſui abnegatione *amarè flevit.* Matth. 26, 75.

Deteſtatio peccati.

3. *Deteſtatio peccati*: fieri enim nequit, quin ad ingentes animi cruciatus & dolores intimos, quorum omnium cauſa & origo eſt commiſſum peccatum, extrema ejus deteſtatio ſequatur: quò pertinet vaticinum & divina prædictio pœnitentiæ populi Iſraëlitici Levit. 26, 41. tunc *orabunt pro impietatibus ſuis*, aut rectius juxta Hebræum: *acquieſcent in pœna iniquitatis ſuæ*: id eſt, digna ſe peccatis ſuis pati fatebuntur, portabunt patienter iram Domini, non improbabunt ullo modo judicia divina: dicent uno ore: *receſſimus & non audivimus vocem Domini, ideo ſtillavit ſuper nos maledictio, quæ ſcripta eſt in libro Moſis: Iuſtus eſt Dominus DEus noſter in omnibus operibus ſuis, quæ fecit.* Dan. 9, 9. & ſeqq. ac mox converſi ad peccata ſua, quibus tantas ſibi attraxerunt calamitates, interiores conſcientiæ morſus & vulnera, nec non externas plagas & afflictiones, eadem deteſtabuntur & execrabuntur: confer notam marginalem Lutheri ad loc. cit. & ejusdem paraphraſin, in qua hæc quoque verba habet: Das ſind Wort einer ernſten Rew/da ſich einer ſelbſt im hertzengrund haſſet vnd anſpeyet: ſaget/pfui dich/was hab ich gethan/danck hab du verfluchte Sünde &c. Cum hac peccati deteſtatione conjuncta ſemper eſt

Seria humilitatio.

4. *Seria humilitatio*, qua ſe homo pectore contritus ad pedes DEI abjicit, in pulvere ſedet, nullo ſe beneficio dignum æſtimat; quo pacto David, ægrotante filiolo ex adulterio ſuſcepto, ſeſe humiliavit & *ſuper terram jacuit.* 2. Sam. 12, 16. itemque Hiskias, *cum prius cor ejus fuiſſet exaltatum* 2. Chronic. 32, 26. & Manaſſes. 2. Chron. 33, 12. & ſeqq. confer. parabolam de publicano Luc. 18, 13. Tandem

Virium corporis proſtratio.

5. *etiam virium corporis debilitatio & proſtatio* ex contritione oritur. Quemadmodum enim quævis animi ægritudo & triſtitia corporis vigorem facile frangit & imminuit; ita vel maximè dolor ille, qui ex ſeria peccati & iræ

iræ DEI agnitione nascitur, unde David Psal. 6, 8. *turbatus est à furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos* Psal. 32, 3. *inveteraverunt ossa mea* v. 4. *Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina.* Confer Psalm. 38, 4. & seqq. 102. 4. & seqq. & Wigand. synt. V. T. p. 1156. & seqq. N. T. p. 235. & 843.

36. *De objecto contritionis*, (quod omnia peccata, originale & actuale disp. præc. §. 41. esse diximus) Scholastici pro more curiosè superstitioseque ac parum ad fidei analogiam, quam exempla verè pœnitentium confirmant, disputant. Antesignanus eorum Thomas Aquinas in posth. supplem. part. 3. quæst. 2. sex de eo articulos, sive quæstiones movet, quas omnes hoc loco sub examen vocare, longùm nimis foret. Præcipua est & nullo modo hîc prætereunda, quam secundo loco ponit: *an contritio etiam debeat esse de peccato originali?* ad quam his respondet verbis: *Contritio cum sit dolor voluntatis duritiem ex peccato contractam quodammodo comminuens, non propriè est de peccato originali, quod non nostra voluntate est inductum, sed potius naturæ corruptæ origine est contractum, potest tamen de eo aliqua esse displicentia.* Idem alii sentiunt & expressè, *contritio*, inquiunt, *est de solo peccato actuali & de peccato proprio & peccato præterito*, confer Altenstaig. Lex. pag. 201. & Gregor. de Valent. tom. 4. disp. 7. q. 1. punct. 2 pag. 1546. & seqq. Sed ex falsis hypothesibus, quas in articulo de peccato originali amplectuntur, talia originem habent. Tradunt enim *peccatum originis abusive peccatum dici, non tam esse offensam, quam maculam, imò pœnam potius, quàm culpam, non habere rationem peccati, nisi cum respectu ad peccatum, quod Adam commisit, aut si sit peccatum, minus tamen esse quovis minimo peccato veniali, quod quidem possit dici objectum contritionis, sed non nisi remotè.* His stantibus, mirum non est, eos nullam propter originale peccatum contritionem esse necessariam statuere. Verùm aliter longè scriptura sacra de originali peccato loquitur, quod esse ait *intimam, pessimam, profundissimam, & instar cujusdam abyssi inscrutabilem atq; ineffabilem totius naturæ & omnium ejus virium, inprimis superiorum & principalium animæ facultatum mentis & voluntatis corruptionem, quæ hominem reddat iræ DEI & pœnarum temporalium æternarumq; reum.* De quo antehac disp. de peccat originali latius actum. Ex quo sequitur, non tantùm

Objectum peccata.

Etiam peccatum originale.

 homini

homini pœnitenti necessarium esse, ut de hoc peccato, cujus fœditas nunquam satis agnosci mente aut describi verbis potest, seriò doleat & conteratur, sed & ex hoc ipso primam tristitiæ & doloris hauriat materiam: id quod Davidē, quem DEus omnium verè pœnitentium quoddam quasi speculum esse voluit, fecisse Psalm. 51. legimus: in quo vehementer quidem animoque perculsus est ex horrenda facie peccatorum actualium, homicidii & adulterii, sed majorem sentit contritionem, quando in eorum descendit originem, & se suamque naturam ex ipsa prima conceptione miserrimè vitiatam, ipsam primam guttam sanguinis materni, ipsum semen, ex quo in utero matris fuerit formatus, fœdissime pollutum atque inde se domicilium, in quo omnium peccatorum colluvies habitaret, factum esse, tristis secum considerat. Confer præc. §. 29. sub init. Huc etiam referenda Apostoli Pauli ταλαιπωρία, quam Rom. 7, 24. ex pravæ concupiscentiæ adeoque peccati originalis furiosis & rebellibus motibus pectore percipiens graviter & lamentabili voce conqueritur, inde fieri ut *bonū, quod ex regenerationis beneficio velit, non faciat, contra faciat malum, quod oderit*: quod *delectetur lege DEI secundum interiorem hominem, sed videat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ* &c. quæ ταλαιπωρία cordis contritionem complectitur, imò ipsa est contritio atque intimus animi dolor. Ergo ut peccata omnia, excepto nullo, sunt objectum contritionis pœnitentialis, siquidem quovis peccato in se spectato Deus offenditur, atque ira ejus concitatur: sic quoque & vel maximè quidem originale, ita ut, qui contrarium statuunt, seria veræ pœnitentiæ exercitia impediant, & ipso opere in hypocrisin homines seducant.

Subjectum quod & quo

37. *Subjectum* idem est, quod & ipsius pœnitentiæ scilicet *totus homo*, side *subjecto quod* quæratur: cor autem hominis, id est, omnes animæ vires, mens, voluntas, appettius, affectus, est *subjectum quo*. *Mens* enim horrenda peccatorum monstra intuetur & agnoscit: *Voluntas* ad ea sic agnita exhorrescit, eademq; detestatur ac odit: reliquæ etiam vires ac potentiæ dolore & tristitia afficiuntur: quin imò licet contritio in his animæ viribus præcipuè vim suam exerceat, non tamen corpus ejusque membra omnino ab ea libera manent, sed ex arctissima cum anima conjunctione

junctione in societatem doloris trahuntur: id quod ex exemplorum intuitu satis est conspicuum, confer Davidem & ejus Psalm. 6, 4. 7. 8. Psal. 32, 3. seq. Psal. 38, 4. & seqq. Hiskiam, mulierem peccatricem, publicanum, Petrum &c.

38. Ad *Contririonis adjuncta* refertur 1. *Quantitas*, de qua inter Pontificios veteres & hodiernos non eadem est sententia. confer Gregor. de Valent. tom. 4. disp. 7, q. 8. punct. 5. pag. 1724. & seqq. Becan. de sacramentis in specie cap. 35. q. 2. p. 849. seq. tom. 1. operum. Hodierni ferè omnes docent, *non requiri tantam contritionem, quæ sit summa intensivè, nec quæ habeat certam intentionem soli DEO cognitam, sed satis esse, ut sit summus de peccato dolor appretiativè, quod fiat, quando quis ita peccatum detestatur, ut mallet illo carere, quàm alio quovis malo, saltem in genere de malis aliis omnibus cogitando. Debere enim oriri contritionem ex motivo charitatis DEI super omnia, unde sicut amor DEI super omnia non debeat esse necessariò summus intensive, sed tantùm appretiativè, quia scilicet præferat DEum creaturæ: sic etiam servata proportione de contritione sit judicandum.* Vide Bellarm. lib. 2. de pœnit. cap. 10. & 11. qui rem totam sex declarare nititur propositionibus, quarum ultima est. *Vtilissimum est, peccata singula amarissimè & longo tempore deflere, ut contritio non solùm appretiativè, sed etiam intensivè & extensivè summa dici possit.* Ortum hujusmodi nullius pretii, sed potiùs intensivè & extensive periculosis ac superstitiosis quæstionibus falsa præbet hypothesis, de qua paulò ante §. 34. *per contritionem deleri, ablui & purgari peccata, DEum placari eidemq; satisfieri* &c. Inde enim in has de magnitudine contritionis disputationes progressi sunt, & tradiderunt, *non quamvis contritionem talia efficere posse, sed eam demum veram sufficientem ac salutarem esse, quando doloris acerbitas magnitudinem scelerum & è peccato conceptam voluptatem æquet.* Scripturam sacram si hic quoq;, ceu par est, consulamus, seriam illa quidem contritionem, quâ corda scindantur & compungantur, ab omnibus pœnitentibus exigit, gradus autem doloris ac tristitiæ nullos præscribit: ad deflenda peccata hortantur Prophetæ, Christus Apostoli: nuspiam autem certam lacrymarum fundendarum mensuram constituunt. Et si exempla pœnitentiæ hactenus

Adjuncta

Quantitas

comme-

commemorata inſpiciamus, Davidis, Manaſſ. Mulieris peccatoris, Acolaſti, Petri, Pauli, id quidem omnes egerunt, ut ſe verè ſerioque de commiſſis peccatis dolere, angi, contriſtari teſtatentur, at quod de quantitate contritionis tali, qua doloris magnitudo aut cum voluptate pridem è peccatis concepta, aut cum peccati magnitudine conferenda, ſoliciti fuerint, nullum invenimus veſtigium, confer Gerh. LL. CC. de pœnit. §. 83. & 84. Eckard. de pœnit. cap. 4. quæſt. 6. pag. 127. & ſeqq.

Locus & tempus.

39. De *Loco & tempore*, quibus ob peccata dolendum, adeoq; contritio neceſſaria eſt, repetenda quæ præc. diſp. de pœnitentia in genere §. 43. dicta ſunt: Eadem enim hîc totius & partis ratio eſt. Pontificii hic quoque ſuis ſpeculationibus indulgent, ac imprimis de *tempore, quo contritio neceſſaria ſit*, variè diſputant. Ajunt: *neminem teneri ex præcepto contritionis, ſtatim atq; peccavit conteri: neminē obſtrictum eſſe, ut de peccato ſemel remiſſo quando id memoriæ occurrit, doleat & conteratur.* &c. Vide Gregor. de Valent. tom. 4. diſp. 7. quæſt. 8. de contritione punct. 4. pag 1703. & ſeqq. Non ita ſacræ literæ loquuntur, non exempla verè pœnitentium docent. Certè mandata de agenda pœnitentia, adeoque etiam de contritione, â Prophetis, Chriſto, Apoſtolis toties inculcata, univerſalia ſunt etiam reſpectu temporis, ut, quo momento quis in peccatum labitur, eodem de lapſu doleat & reſurgat: quò etiam meritò refertur ſalutare Siracidis monitum cap. 5, 8. *non tardes converti ad Dominum & ne differas.* Ad quem locum rectè Jeſuita Cornel. â Lap. pag. 147. *Quis enim lethiferam viperam manu ferat & non ſtatim excutiat? quis peſtem in corpore alat? quis hoſtem capitalem intra mœnia ferat? quis dæmonem in mente geſtet?* Subjungit ibidem admonitionem Baſilii: *Quando te peccatis obnoxium ſenſeris, ad pœnitentiam citò converti ne confundaris.* Confer etiam Chryſoſt. in epiſt. 2. ad Corinth. homil. 22. ubi locus Sirac. allegatus graviter illuſtratur, itemque Auguſtin. lib. 6. confeſſ. cap. 11. & lib. 8. cap. 5. Quod Gregorius de Valentia tom. cit. pag. 1708. ait, *Exhortationes* ad citam contritionem *eſſe conſilia, non mandata*, intolerabile poſtulatum eſt, quod verborum claritas ſufficienter retundit: Ejusdem commatis altera quoque eſt propoſitio *de peccato ſemel remiſſo neceſſe non eſſe, ut quis denuò doleat & conteratur.*

An ſtatim de cōmiſſo peccato dolendum?

teratur. Ubi primùm notamus, dum certitudinem remissi peccati præsupponunt, quod sibimetipsis adversentur & dogma suum evertant, quod *de obtenta peccatorum venia semper dubitādum sit* (verba sunt Oliverii Bonartii Jesuitæ in cap. 5. Ecclesiast. p. 78. & 79.) *quia nemo certus sit, an pœnitentia fuerit sufficiens ad peccati deletionem, an profecta ab auxilio gratiæ prævenientis, an tātum mere naturalis, an absolutum fuerit abstinendi in posterum à peccatis propositū, an ratio pœnitēdi processerit ex DEI supra omnia dilecti amore & peccati detestatione, an verò ex metu mali alicujus temporalis &c.* Deinde quod ipsam spectat assertionē, *nō requiri contritionem de peccato semel remisso*, reclamant illi seriò pœnitentium iterati gemitus, suspiria, dolor subinde rediens, lamentabiles gestus vocesque. Remissa sibi fuisse homicidium & adulterium, ea hora scivit David, quando ex Nathane audivit: *Dominus abstulit peccatum tuum, non morieris* 2. Sam. 12, 13. & nihilominus multas postea fudit lacrymas noctu interdiuque, de quibus Psalmi pœnitentiales testantur. Sic etiam *de peccatis juventutis*, quorum se habere remissionē non ignoravit, vehementer doluit Psal. 25, 7. Intellexit enim, divinam esse voluntatem, ut pœnitentiæ exercitia sine intermissione continuentur, ut præterita etiam & remissa peccata sæpius defleantur, quò eorum turpitudo semper in mente versetur, divina celebretur gratia, & cautius in postetum vivatur. *Peccatorum odium*, ipse Jesuita Cornel. à Lap. inquit, *nempe tam turpis rei, si verum est odium, hoc quoq; requirit, ut ea etiam condonata nos tamen ultro vindicemus: ita Petrus peccatum negationis Christi, licèt sibi remissum, tota vita flevit, & quotidie ad gallicinium ejus memor ubertim lacrymatus est,* &c.

An etiam dolendum de peccato jam remisso?

40. *Cognationem* habent cum contritione, quemadmodum illa, quæ præc. disp. §. 44. pœnitentiæ affinia esse diximus: sic quoque eorum nonnulla, quæ supra §. 29. *ad materiam* retulimus, ubi contritionis nomen in ampliori significatione usurpatum, ut eo non tantùm *essentialia*, qualia sunt vera peccati agnitio, iræ divinæ sensus, & conscientiæ cruciatus ac morsus comprehendantur, sed etiam *quæ iis adhærent*, quæ antecedunt aut sequuntur: quo pertinet humillima ad tribunal DEI abjectio, peccati detestatio &c. Sic ad cognata etiam referri suo Cognata.

G modo

modo possunt quidam effectus §. 35. enumerati, scil. gemitus, lacrymæ, &c. Præcipuè tamen *peccatorum confessio*, qua homo post vitæ suæ & actionum diligentem ad normam legis moralis explorationem infinitis modis se mandata divina violasse agnoscens, liberè ingenuéque, non sine animi dolore, vel coram solo DEO vel simul etiam coram Ecclesiæ ministro se peccasse fatetur, & absolutionem à peccatis petit: *de qua verò, quia tum ob dignitatem suam atque utilitatem, tum etiam ob varias corruptelas, quibus obnoxia est, accuratiorem meretur meditationem, peculiari disputatione agere, cum bono DEO constitutum habemus.*

Pugnantia 41. Qui sanam de pœnitentiali contritione doctrinam oppugnant, præcipui sunt PONTIFICII, ut ex hactenus allatis constat. Per omnia enim ferè causarum genera & alias circumstantias, errores benè multos & graves, olim ex superstitione introductos, mordicus hodieque tenent & tuentur. Est illis contritio opus, *vi liberi arbitrii elicitum, & dolor voluntariè assumptus*, ajunt, *propriè & maximè ad Evangelium eam pertinere, non passionem esse, sed actionem sive virtutis actum, finem & effectum eius esse remißionem peccatorum & justificationem, vim esse tantam, ut peccata deleat, & eorum omnium veniam à DEO impetret.* Confer supra §. 28. & seqq. & adde Heshus. sexcent. error. cap. de contritione pag. 56. & seqq. è Calvinianis *Bucanus* LL.CC. loc. 30. de pœnit. quæst. 3. pag. 291. & seq. *duplicem habet contritionem: alteram legalem, ex legis prædicatione, qua peccator peccati cauterio vulneratus & terrore iræ DEI attritus, in ea perturbatione constrictus hæret, ex qua se explicare non potest: alteram Evangelicam, qua peccator graviter quidem apud se afflictus, altiùs tamen assurgit & ex Evangelii prædicatione Christum, vulneris sui medicinam, terroris consolationem, miseriæ portum apprehendit*: ubi distinctas pœnitentiæ partes contritionem & fidem, earumque causas & operationes mirè confundit. Quod enim peccator graviter afflictus & perterrefactus ad Christum medicum & consolatorem se recipit, non est ex contritione, sed ex fide, quæ sola in Evangelicas promissiones fertur, & in iis Christum, eiusq; beneficia amplectitur. Confer D. Mentz. exeges. Aug. Confess. Loc. de pœnit. pag. 576. *Antinomi* in legem divinam extremè blasphemi non ex eadem, sed *ex Evangelio immediatè magnitu-*

dinem

dinem offensæ & deformitatem peccati ostendi & agnosci tradunt, contra manifesta Apostoli verba, *peccatum non cognovi nisi per legem*. Rom. 7,7. Vide Schlüsselburg. Catalog. Hæreticorum lib. 2. quæst. de Antinomis pag. 37. & seqq.

42. Definitio Contritionis ex iis, quæ ordine allata sunt, talis nascitur. *Contritio est verus & serius à DEO trinuno per prædicationem Legis in corde peccatoris excitatus dolor, per quem peccatorum suorum originalis & actualium atrocitatem & gravitatem secum agnoscens, atque inde iram DEI & promeritas pœnas metuens, vehementer expavescit, contristatur & compungitur, ideò immissus, ut DEO eiusq; justitiæ sua constet gloria, & miser homo hac occasione ad opem, auxilium, misericordiam, solatium alibi scil. in Evangelio & Christo mediatore quærenda compellatur.*

Θεῷ μόνῳ δόξα.

Ad Eximium Dn. Respondentem.

BIs, memini, pridem te conscendisse cathedram,
Doctè & de rebus disseruisse sacris.
Res benè successit. Labor hic est tertius: opto
Hunc quoque fortunet, terque quaterque, DEUS.

Amici affectus ergo scrib.

Præses.

Eximio Dn. Respondenti.

TEr cathedræ nostræ te sistis gnave GEROLDE,
Terque ignava fugit cathedram lucemque serenam
Turba, suis Musis quæ cantat & ardua spernit.
Ter tibi, ter studiis benedicat ab axe Triunus.

F.

Ioh. Conradus Danhavver D.

JAm disputanti tertiùm, grator Tibi,
Gerolde docte, tertiùm.
Par est tuam mactare diligentiam,
Tot gratulationibus.

Par est tuam juvare diligentiam
Tot comprecationibus.
Certabis ergò diligentiâ meis
Cum gratulationibus?
Certabis & cum comprecationibus?
Fac. & juvet Ter optimus!
Non nostra deerit gratulatio Tibi,
Non nostra comprecatio.
f. gratulab.

Sebastianus Schmidt, SS.Th. D.
P. P. & Ecclesiastes.

Ad præstantissimum Dn. Respondentem.

NE doleat Sapiens, *Stoicæ insipientia linguæ*
Decernit, mentem dum dolor acer habet.
Vt doleat sapiens, *dictat Sapientia cœlo*
Missa, & lætitiæ hinc munera vera docet.
Qui doluit benè, gaudebit benè. Summa bonorum,
Gaudium ab ingenti grande dolore venit.

amicitiæ caussa scr.

J. H. BOECLERUS.

IAm Te sæpe cohors vidit Studiosa Cathedram
Scandere, sæpe Tibi vota GEROLDE dedit,
Doctrinam mirata tuam, mirataque flores
Queîs velut ingenii nunc Tibi vernat ager.
Perge, DEUS flori dicat feliciter! olim
Fructibus & largâ Te quoque messe beet.

M. Iacobus Philippus Espich, Arg. Virdenheimensis & Quatsenheimensis Ecclesiarum Pastor.

VT lex accusat, terret, mortemq; minatur;
Sic promissa DEI nostro dant gaudia cordi,
Dum veniam gratis spondent vitamq; perennem
Credenti: atq; ex his oritur metanœa salubris.

Quam

Quam cum describas clarè, sententia vera
Vt pateat, doceas & quæ sit opinio falsa;
Felix es, cordi si sic inscribis, Amice,
Adspirante DEO, doctrinam de METANOEA,
Consonet ut semper dictis tua vita. Secundet
Cœpta DEVS, lætos successus, atq; laboru
Optatum fructum donet, fructumq; coronet.

M. Joh. Frideric. von der Straaß/Past.
zu Ober-vnd Mittel-Haußbergen.

SUnt, quos delectat, multas percurrere gentes,
Sunt, quos delectat sectari præmia Martis;
Sunt, quos delectat, diffundi munere Bachi;
Sunt, quos delectat, vernales carpere flores.
Te GEROLD, crebrò Musarum castra subire,
Ut Cathedræ resonent, falsum dum dogma refutas;
Est divinus amor, GEROLD, est sancta voluptas,
Te sanctos, sacræ Sophiæ lustrasse recessus;
Nec non Aonidum toties intrâsse palæstram;
Et Te divinis, vivisque rigarier undis;
Indolis egregios flores Te prodere vere.
Gratulor ergo vovens: Faxit DEUS Unus & idem
Trinus, quô, *ter* jam, conscendens pulpita sancta,
Præside sub tanto, sis *terq;* quaterque beatus!

M. *Ioh. Iacob.* Schnitzler / *Argent.*
p.t. Ecclesiæ Orthodoxæ Osthusi
Pastor.

CUm non sit major toto sapientia mundo
Cognitione DEI, Cognitione Sui;
Cum redeat tempus Christi memorabile fato,
Quod nos peccatis indoluisse jubet:
Hæc etiam *Friderice* Tibi Sapientia Curæ,
Hæc, quæ proponis, tempora sacra volunt.
Præside sub *Magno* rursum sacra pulpita scandis,
Et vitæ fontis flêre piacla doces:
Dispice, ais, miseram Mortalis dispice vitam,
Quam fœdat scelerum perniciosa lues.
Tristia disce brevis cognoscere tempora vitæ,
Et tanti causam ritè dolêre mali.

Quælibet

Quælibet in toto te corpore fibra docebit
Quàm tua sit vetitâ perdita massa dape.
Sis gnarus, quæso, miseræ diffidere vitæ,
Quæ, quorsum spectes, undique plena malis.
Non licet admissum Mortalem abscondere crimen,
Omne malum *Domini* lumina justa vident.
Non licet ulli hominum justum vitare Tribunal,
Nam quo se vertunt lumina, semper adest.
Non licet occultè velum prætendere factis,
Sed temerata sibi mens sine teste timet.
Rumpe moras igitur, ne te demittat ad orcum
Iusta, reos pœnæ quæ facit, ira reos.
Sit Tibi Salvando primùm mens conscia culpæ;
Iræ sit sensus, tristis in osse dolor,
Os patulum culpas syncero corde fatêri;
Ex odio culpæ vivere perge *DEO*.
Sic extende manum, promissam prende Salutem,
Quam spectat Christi vulnere nixa fides.
Hæc, inquam, tractas *Metanœa* sacra *Geroldei*
Et *Studij* præbes publica signa *Tui*.
Iam dudum primas didicisti sedulus artes,
Quæ facilem sternunt ad graviora viam.
Hactenus ingenii solers intendere vires,
Doctus es è Cathedrâ verba diserta loqui.
Sacrarum pergis tractare negotia rerum,
Sacri perlustras mystica sacra libri.
Tu vehemente cales melioris ab Indolis æstu,
Artis *Tu* sanctæ maximo amore cales.
Una *Tibi* studiis animum coluisse voluptas.
Cœptis applaudo, Suavis *Amice*, Tuis:
Imploro *Numen* Sancto cœleste precatu,
Ut serat in mentem non nisi sancta tuam.

M. J. Th. Heinrici Argent.
p. t. Pastor in Mundolßheim vnd
Nieder Haußbergen.

F I N I S.